



Pri-Or. num. 25. P. 4. 18.

DISSERTATIO JURIDICA *1711, 52*
DE *7*

**DUOBUS TESTAMENTIS
SIMUL VALIDIS.**

AD

L. 1. §. 6 ff. de Bonor. Possess. secundum Tab.

QUAM

SUB PRÆSIDIO

**BERNH. LUDOV. MOL-
LENBECII,**

J. U. D. SERENISS. LANDGRAVII HASSO-DARM-
STADINI CONSILIARII, COMIT. PAL. CÆS. ET
PROF. JURIS ORD.
LONGE CELEBERRIMI,

DN. PATRONI PRÆCEPTO.

RIS AC PROMOTORIS SUI

OMNI HONORIS OBSERVANTIÆ Q. CULTU

ÆTERNUM PROSEQUENDI,

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT,

IN SOLENNI

ICTORUM AUDITORIO

d. Septembris c10 17 cxxi.

ANSHELM. GEORG. ELWERT,
GIESSENSIS.



GIESSÆ, Litteris VIDUÆ B. JOH. REINH. VULPII, Acad. Typ.

DISSERTATIO JURIDICA

DUOBUS
STAMENTIS
SIMILIVM

AD
A. S. S. P. de Bonor. Poff. secundum Tab.

SUB PRÆSIDIO

BERNH. LUDOV. MOL.

STADII CONSILII COMIT. PAL. CÉS. ET
PROF. JURIS ORD.

D. P. A. T. R. O. N. I. P. R. A. E. C. E. P. T. O.

OMNI HONORIS OBSERVANTIA ET
PUBLICE DISCIPLINÆ ADMITTIT.

17 SOLENNIT.

ICTORUM AUDITORIO

ANSELM. GEORG. FLWERT.

GRÆCÆ LINGVÆ VICE RECTOR RHEINI V. C. P. R. H. S. S. S. S. S.



ILLUSTRISSIMO COMITI AC
DOMINO
DN. GEORGIO
ALBRECHTO,
COMITI
IN ERPACH, DYNASTÆ
IN BREUBERG, &c.
DOMINO
SUO GRATIOSISSIMO,

VITAM PROLIXAM
OMNIGENAMQUE FELICITATEM
A DEO OPT. MAXIMO,
DEVOTE PRECATUR
ET
HANCE DISSERTATIONEM
ACADEMICAM PRIMUM
INGENII MONUMENTUM

SUBJECTISSIMA MENTE
OFFERT DICAT ET
DEDICAT

ANSHEL. GEORG.
ELWERT.



Q. D. B. V.

PRÆLOQUIUM.

Primicias studiorum edere ius-
sus, non inanem operam me
impensurum arbitratus sum,
si aliquod Successionis Prato-
ria, sive Bonorum Possessionis
exemplum, in Cathedram producerem, & oc-
casione L. 1. §. 6. ff. de Bonor. Possess. sec.
Tab. presentes, de Duobus Testamentis simul
Validis, placida disquisitioni, Theses, subjice-
rem, cum verissimum sit, quod B. DN. STRY-
CKIUS in Tract. de Succession. ab Intest.
Dissert. 9. cap. 4. §. 37. notat, casum qui

A 2

dicto

dicto textu continetur, à paucis hucusque fuisse observatum. Neque verò dimovere me à proposito potuit, quòd nomen Bonorum Possessionis, vel rarò vel nunquam in foro usurpetur, imò usum ejus nullum superesse multis scribant: quemadmodum enim prius ex imperitia oritur, cum vix centesimus Procurator, uti pralaudatus STRYCKIUS cit. loc. §. 6. loquitur, intelligat, quid sit Bonorum Possessor, ita posterius omninò falsissimum, est potius hoc certissimum est, insignem Bonorum Possessionis usum hodiernum superesse, multisq; casibus, (inter quos etiam presens, de Duobus Testamentis simul Validis, est) summè necessariam esse, ita ut non possit patrimonium defuncti obtineri, nisi legitimè ex prescripto Prætoris agnita fuerit Bonorum Possessio. Quare ut conatui meo qualicumque benedicere DEUS velit, supplex per Christum JESUM oro,

Q. D. B. P.



Q. D. B. V.

CAPUT I.

Quid per Duo Testamenta si-
mul Valida intelligatur,
explicat.

SUMMARIA.

*Descriptio Duorum Testamentorum simul Validorum proponitur. Ex hac constare, de Duobus Testamen-
tis unius tenoris, sive de duobus exemplaribus unius Testamenti sermonem non esse. Neque huc pertine-
re Duo Testamenta à duabus Personis in unâ chartâ confecta. Multo minus huc spectare Testamenta que unus quidem testator, sed diversis temporibus confe-
cit. Hoc casu prius rumpi per posterius. Etsi in po-
steriori dixerit testator se velle, ut etiam prius vale-
ret. Verba Textus subjunguntur.*



Quando itaque ad textum admodum notabilem in *L. I. §. 6. ff. de Bon. Poss. sec. Tab.* de Duobus Testamentis simul validis tractare cogito, hoc mihi negotii primum dari video, ut, quid per duo testamenta simul valida intelligam, statim explicem, cum omnis, monente Cicerone, quæ à recta ratione de aliqua re suscipitur institutio, à definitione proficisci debeat, ut intelligatur, quid sit id, de quo agendum est: Quare ut citra ambages exprimam, duo testamenta, de quibus in dicto textu agitur, simul valida, sunt *Due Ultimæ Voluntates quæ ab uno Testatore uno tempore sunt confectæ, sed diversas Heredum Institutiones continent, quæ ideo Jure Prætorio validæ sunt, quia neutra prior, neutra posterior, sed utraque pro suprema habenda est.*

§. II.

Ex qua descriptione apparet (1.) de duobus testamentis unius tenoris, sive de duobus exemplaribus unius testamenti, neutiquam nobis sermonē esse, cum omni dubitatione careat, unum testamentum pluribus codicibus h. e. originalibus exemplaribus, quem facere posse, secundum obtinentem tamen observationem omnibus factis, quod interdum etiam necessarium esse monet Imperator in *§. sed & unum 12. Inst. de Testam. Ordin.* veluti si quis navigaturus, & secum ferre, & domi relinquere judiciorum suorum contestationem velit, vel propter alias innumerabi-

mērabiles causas, quæ humanis necessitatibus imminēt : Enim vero hoc casu non duo testamēta, sed unius testamēti saltem duo exempla fiunt, quæ non *diversam* sed *eandam* heredis institutionem continent. *L. unum testamētum 24. ff. Qui testam. fac. poss.*

§. III.

Neque etiam (2.) de illo casu nobis nunc agendum esse, quo duæ personæ v. g. Conjuges, vel duo Fratres ultimum suum elogium in una charta conficiunt: quanquam enim hoc casu duo testamēta, (conjunctim licet & connexis tabulis) & uno quoque tempore fiant, quia tamen non unus testator, sed duæ personæ testantes sunt, cum Lex nostra de duobus testamētis ab *uno* testatore, in *diversis* tabulis confectis, agat, ideo species illa à proposito nostro aliena est. Equidem num duo vel plura testamēta duorum vel plurium testatorum, in una charta, unis iisdemque testibus adhibitis, unoque contextu fieri possint? controversa adhuc quæstio est, cujus negativam post Viglium & Hottomannum ideo potissimum defendit Arnold. Vinnius *ad §. sed & unum 13. Inst. de Testam. Ordin.* quod singula testamēta seorsim suas solennitates desiderent, nec ita unum uno ac perpetuo contextu ac tempore absolvatur, sed alieni extraneique aliorum actus admittantur, & admissa illa diversorum testamētorum conjunctione, subtilissimum testamēti negotium corumpatur: add. H. Grot. *in Introduct. ad Juris prud. Batav. lib. 2. c. §. Wenn Leyden.* Ulric. Huber. *Prælect. ad Tit. ff. Qui Testam. fac. poss. num. 18. seq.* Tiracquell. *de Retract. lign. §. 1. Gloss. ult. n. 20. seq.* Anton. Matth. Sed quicquid de Jure sit, affirmativam sane maximè

ximè in conjugibus, Praxis fere ubique recepit, quam defendunt testanturque Carpzov. *Jurisprud. Forens. Part. 3. Const. 7. def. 77. n. 1.* Gail. *lib. 2. Obs. 122. num. 22.* Joh. del Castill. *Controv. Jur. Quest. P. 2. C. 18.* ubi dicit neminem dissentire, quòd imò etiam plures in una eademque charta testari possint. Anton. de Gamma *Decis. 258. n. 2.* Brunnem. ad *L. licet 19. Cod. de Pact. num. 4.* Alphons. de Azeved. *Consil. 3. n. 1.* Gratian. *Tom. 5. discept. forens. c. 908.* Mev. *Part. 9. Dec. 148.* & ad *Jus Lubec. Part. 2. Tit. 1. Art. 10. n. 2.* Petr. Peck. *de Testam. Conjug. L. I. C. 19.* Marci *Decis. Delphin. 186. Part. 2. num. 1.*

§. IV.

Porro (3.) nec illa huc testamenta pertinent, quæ ab uno quidem testatore, sed diversis temporibus confecta sunt, quoniam hæc nunquam simul valere possunt, sed si constat quodnam prius quodque posterius sit, posterius saltem valet, cum prius per posterius ruptum sit, usque adeo, ut licet in posteriori dixerit testator, velle se ut etiam prius valeret, nihilo tamen minus prius rumpatur, & saltem jure fideicommissi subsistat, posterius vero directò & ut testamentum valeat: §. *posteriori 2. Inst. Quib. mod. testam. infirm.* si vero non constet quod prius quod posterius sit, propter incertitudinem neutrum valeat. *Arg. L. duo 30. ff. de Testam. Tut. Mantic. de Conject. ultim. Volunt. Lib. 6. Tit. 6. num. 11.* Bardili *de Revoc. Ultim. Volunt. th. 27.* Jul. Clar. §. *Testamentum Quest. 100.* Harprecht. ad §. 2. *Inst. Quib. mod. Testam. infirm.* Nobis autem de duobus testamentis quæ simul valent, sermo est.

§. V.

Cum itaque quid singulare admodum & quasi absonans à juris ratione sit, duobus Testamentis paganum decedere, quod soli alias militi permissum est, *L. Quercharur. 19. ff. de Testam. Milit.* operæ pretium esse arbitror, textum quem commendat Celeberr. B. Dn. Stryckius *Tract. de Success. ab Intest. Dissert. 9. §. 37. & Notabilem* vocat Brunnem, ad *L. 1. ff. de Bon. Poss. sec. Tab.* quique unicus in toto Jure materiæ hujus sedes est, consueto more resolvere, & deinde ipsam Successionem Pratoriam, quæ ex duobus his testamentis competit, paucis exponere: Sic autem sonat textus in *Leg. 1. §. 6. ff. de Bonorum Possessionibus secundum Tabulas.*

Ulpianus lib. 39. ad Edictum.

Sed etsi in duobus Codicibus simul signatis alios atque alios heredes scripserit, & utrumque extet, ex utroque quasi ex uno competit Bonorum Possessio: quia pro unis tabulis habendum est, & supremum utrumq; accipiemus.



CAPUT II.

Inscriptionem Textus examinat.

SUMMARIA.

Sedes textus refertur. In Honorem veterum Juris Consultorum, singulis Legibus Pandectarum nomina ipsorum speciali jussu Imperatoris esse præfixa. Legis Autorem Ulpianum esse. Hujus vitæ curriculum summarie narratur. Recensentur Scripta & encomia Ulpiani.

§. I.

TItuli sub quo textus continetur Rubrica est: *De Bonorum Possessionibus secundum Tabulas*, & in sexta Digestorum parte continetur: *vid. Constit. de Confirmatione Digestorum ad Senatum & omnes populos §. 7.* Circa cujus inscriptionem, & cum præcedentibus connectionem, cum Glossa & passim Commentatores occupati sint, nolo actum agere, sed statim ad specialem Legis inscriptionem progredior.

§. II.

Specialis hujus legis Inscriptio Inclytum Autorem, & librum ex quo desumpta est, indicat. Tametsi enim quicquid in Digestorum libris continetur, Justiniano adscribendum sit, cum omnium Juris-Consultorum Responsa, quæ in Digesta relata sunt, eam auctoritatem acceperint, tanquam si ex Justiniani Constitutionibus profecta, & suo divino ore (sic enim ipse loquitur) fuissent profusa:

fusa : vid. *Constit. Tanta. de Confirm. Digestor. ad Senat. & omnes Popul. §. 10.* ibi : *una omnibus autoritate indulta, & quicquid ibi scriptum est, hoc nostrum appareat, & ex nostra voluntate compositum.* Et *L. I. §. Sed neque 6. Cod. de Vet. Jur. Enucl.* verb. *Omnes qui relati fuerint in hunc Codicem Prudentissimi Viri habeant autoritatem, tanquam si eorum studia ex Principalibus Constitutionibus profecta, & nostro divino ore fuerint profusa; Omnia enim nostra facimus, quia ex nobis eis impertietur autoritas.* add *Cap. si Apostolicæ 22. de Præbend. in 6.* verb. *cum ipsa proviſio ipsius Legati post impertitam à nobis autoritatem nostra censeatur effecta.* hoc tamen honore veteres Jure-Consultos ornari laudatissimus Imperator voluit, ut illorum nomina illorum Responsis apponerentur, quo summa illorum in Jurisprudentiam justitiamque merita, ab interitu oblivioneque conservarentur : sic enim Justinianus ait in *dict. Constit. de Confirm. Digestor. ad Senat. & omnes Popul. §. 10.* *Tanta à nobis antiquitatis habita est reverentia, ut nomina Prudentium taciturnitati tradere nullo patiamur modo : Sed unus quisque eorum qui autor legis fuit, nostris Digestis inscriptus est.*

§. III.

Est autem legis nostræ Autor Domitius Ulpianus; ex Phœnice urbe Syria oriundus. *L. I. ff. de Censibus.* qui una cum Julio Paulo Papinianum docentem audivit, à quo edoctus eidem Præfecto Prætorio affedit, & in Consilio fuit. Sacrorum deinde Scriniarum Alexandri Severi Magister factus, mortuo Papiniano in locum ejus successit. Ab Imperatore semper tanti habitus, ut inter omnes

jurisperitos & Consiliarios quos à latere habuit Imperator, principem semper præcipuumque obtineret locum, ut familiaris etiam ac Socius Imperatoris diceretur. Unde ipse Alexander Amicum suum in *L. secundum 4. C. de Contrah. vel comitt. stipul.* & imò Parentem suum appellat in *L. ex Divi. 4. Cod. de Locat. Cond.* procul dubio quia ipsum pro tutore habuit. vid. Gothofred. *ad L. si minores 2. §. ult. ff. Qui pet. tutor.* Et refert Lampridius, Alexandrum, cum post Epistolas simul omnes amicus soleret admittere, cum omnibus pariter loqui, nec unquam solum quenquam excipere, Ulpianum modo Præfectum, & Assessores suos, remotis arbitris se accedere passum esse: & si quis cum illis adhibendus esset, Ulpianum semper rogasse, neque ullum unquam alium, ne ex domesticis quidem, solum in Palatio, quam Ulpianum vidisse. Præterea cum Alexander inter suos convivaretur, Ulpianum frequenter accessivisse, cum quo literatos aliquos sermones, quibus se recreari & pasci dicebat, habuerit. Xiphilinus è *Dione* scribit, Ulpiano ab Alexandro Præfecturam Prætorianorum datam, cæteraque quæ ad Imperii administrationem pertinent, ei permissa fuisse: cum autem Ulpianus multa quæ non rectè à Sardanapalo facta erant, emendassèt, ipsum non multò post à Prætorianis, qui de nocte eum invaserunt, interfectum esse, quanquam ad Imperatorem, ejusque matrem confugeret: Imperatores Diocletianus & Maximilianus *Prudentissimum* appellant, in *L. Divo Marco II.* ibi. *Vir prudentissimus Domitius Ulpianus C. de Quæstion.* Justinianus autem *Disertissimum* in *L. ult. C. de Institut. & Substit.* imò *summi ingenii virum*, in *L. un. §. ne autem.*
ibi:

ibi: quod non ineleganter summi ingenii Vir Ulpianus cum omni subtilitate disposuit. C. de Caducis tollend. Libros reliquit quamplurimos: Decem libros de Officio Pro- Consulis: totidem pro Tribunali: Viginti ad leges: Septem Regularum: Fidei- commissorum sex: de Adulteriis quinque: ad Sabinum unum & quinquaginta: Quatuor de Apellationibus. Sex Opinionum: de Officio Consulis tres: Responsorum duos: Sex de Censibus: Institutionum duos: Septem singulares, de Sponsalibus, de Officio Praefecti Vigilium, de Officio Pratoris tutelaris, de Officio Quaestoris, Regularum rursus, de Officio Praefecti Urbis, de Officio Curatoris Reipublicae, & libros publicarum Disceptationum, denique tres & octoginta ad Edictum, ex quibus magna Digestorum pars, & in specie quoque hac nostra Lex ex Libro 39. ad Edictum transcripta est. Add. Valentin. Forster. *Histor. Jur. Civ. Cap. 77.*



CAPUT III.

Terminorum explicationem exhibet.

SUMMARIA.

Voculae sed etsi an conjunctivae an discretivae sint: Codicis vox quid notet; & quid duo codices: Probat per duos codices duo distincta Testamenta, in quibus

B 3

diver-

diverse Personæ heredes scripti sunt, intelligi. Qui Codices simul signati dicantur. Signatos esse codices num in Edicto Prætoris sufficiat, an verò & subscriptos esse oporteat. Num annulo signatos esse opus sit. Cur utrumque Testamentum extare Ulpianus præsupponat. An unum an reverà Duo Testamenta sint. Quid Bona. Quid Possessio. Quid Bonorum Possessio in textu sit. Num aliud Bonorum Possessio, aliud Possessio Bonorum. Quid Tabule notent. Num Opistographum tabularum nomine veniat. Et quid Opistographum sit. Quid per Supremum Jurisconsultus velit.

§. I.

In fronte textus occurrunt vocula *SED ET SI*, quæ quando in Jure leguntur regulariter qualitatem præcedentium repetitam esse innuunt, & conjunctionem notare solent, uti in *L. legato 37. in fin. ibi: sed et si lancem. ff. de Leg. I. §. Sed et si quis 3. Instit. Quibus mod. Testam. infirm. §. si eadem 8. verb. sed et si expresserit & §. si quis II. verb. sed et si Legatarii. Inst. de Legat. L. sed et si imaginem 31. ff. de furt. Strauch. Lexic. Particular. Juris. verb. Sed et si. pag. 32. Stephan. Daoyz. in Ind. Jur. Civ. Part. I. voc. Adversativa dictio. Dixi regulariter: nonnunquam enim hæ voces non conjunctiva sed discretiva sunt, & contra solus articulus *Sed*, conjunctivus, non adversativus quandoque est, uti optimè observat Jacobus Cujacius, in Juris Consultorum Republica (ipsius prælaudati Strauchii in *Amenitat. Jur. Can. Semestr. 2. Eccl. 7. C. I. num. I. judicio*) Consul*

sul sine Collega, lib. 13. *Observ. Cap. 17. in fin.* In nostro tamen textu quin dicta vocula conjunctionem aliquam & convenientiam cum præcedentibus notent, dubitari non potest: Nam postquam Ulpianus in præcedenti §. 5. respondisset, si quis unius Testamenti duo exemplaria fecisset, quorum unum extaret, alterum, non extaret, quod tamen Bonorum Possessio secundum tabulas locum habeat, dum ait: *Si quis in duobus exemplaribus fecerit Testamentum, & aliud extet, aliud non extet, tabulae extare videntur, petique potest Bonorum Possessio:* Progreditur, *Sed et si* quis duo diversi tenoris Testamenta in quibus alii atque alii heredes scripti sunt, uno tempore fecisset, & utrumque extet, idem Juris esse, & Bonorum Possessionem secundum tabulas competere.

§. II.

Sequitur in textu: *in duobus Codicibus:* Vox *Codicis* varias recepit significationes: vel enim in genere qualemcunque librum, uti in *L. librorum 32. ff. de Legat. 3.* item *L. quædam 9. §. poen. ff. de Edend.* vel *nar. & ex. Systematicum* illud XII. Librorum Volumen notat, quo sacratissimas constitutiones ante confusas in luculentam consonantiam Imperator erexit: §. 2. *in Proem. Inst.* vel idem quod exemplar est, quo sensu in §. 13. *Instit. de Testam. Ord.* dicitur, unum Testamentum pluribus *Codicibus* hoc est, exemplaribus, conficere quem posse. Quo etiam pertinet *L. 3. §. 1. ff. de Tab. exhib.* ubi Ulpianus ait, *si tabulae in pluribus Codicibus (i. e. Exemplaribus) scriptæ sint, omnes interdicto isto continentur, quia unum Testamentum est.* in nostro vero textu per *duos Codices* non unius Testamenti duo

exem-

exemplaria, sed duo distincta Testamenta, in quibus diversa personæ heredes scripti sunt, intelliguntur, uti ex verbis quæ sequuntur luce meridiana clarius est.

§. III.

Sequuntur verba, *simul signatis*: Particula *simul* congregationem & connexitatem notat, & habet vim conjunctivæ copulæ, uti in *Cap. I. de Consuetud. in 6. & L. 3. ff. si famil. furt. fecisse dicat.* unde æquipollet dictioni *una, cum.* Germ. *Zugleich*: hinc *simul* fieri dicitur, quod sine temporis intervallo fit. vid. Wehner. *Pract. Observat. verb. Zugleich.* Quanquam enim quandoque & illud *simul* fieri dicitur, quod diversis momentis & temporibus fit, quo sensu Ulpianus in *L. 26. ff. Locat. Conduct.* ait, in operis duobus *simul* (h. e. ab uno & eodem homine diversis tamen temporibus, uti sequentia verba ostendunt) locatis, convenit *priori* conductori ante satisfieri: add. Godofred. ad *L. si fundus 16. §. si duo 2. ff. de pignor. lit. b. & c.* potior tamen & frequentior prior acceptio est, qua *simul* fieri dicitur, quod non separatim sed uno actu sine interruptione & intervallo fit: quo pertinet textus in *L. Querebatur 19. ibi. sive simul fecerit, sive separatim. ff. de Testam. Milit.* ad quem Gloss. *verb. simul.* Strauch. in *Lexic. Particul. Jur. verb. Simul.* Hartm. Pistor. *Lib. 2. Part. 2. Quæst. 21. n. 26.* ubi rectè ait, quod dicitio *simul*, vel *una*, non tantum conjungat, verum etiam simultaneum concursum inducat, quæ significatio etiam hujus loci est, dum per duos Codices *simul* signatos, Ulpianus duo Testamenta uno contextu & sine intervallo temporis confecta intelligit.

§. IV.

§. IV.

Quid per Codices *signatos* Jurisconsultus velit, difficultate caret: scilicet codices septem testium signis firmatos intelligit: Signatæ enim tabulæ Testamenti in Edicto Prætoris accipiuntur quæ septem testium signis signatæ sunt, cum amplius ad Bonorum Possessionem dandam non requirat Prætor, quam ut septem testium signa compareant; ita enim caput hujus Edicti Cicero *Lib. 3. in Ver.* profert: SI. DE. HEREDITATE. AMBIGITUR. ET. TABULÆ. TESTAMENTI. OBSIGNATÆ. NON. MINUS. MULTIS. SIGNIS. QUAM. E. LEGE. OPORTEAT. AD. ME. PROFERENTUR. SECUNDUM. TABULAS. TESTAMENTI. POTISSIMUM. HEREDITATEM. DABO. add. §. *Non tamen.* 6. ibi. *Si septem testium signis signatæ sunt, potest scriptus heres secundum tabulas testamenti Bonorum Possessionem agnoscere. Inst. Quibus Mod. Testam. Infirm. L. cum Tabulæ.* 7. ibi. *Sufficit ad Bonorum Possessionem dandam septem testium signa comparere. ff. de Bonor. Poss. secund. Tabul. L. Bonorum 2. C. de Bonor. Poss. secund. Tab.* ubi Imperator Gordianus ait: *Bonorum Possessionem ex Edicto Prætoris non nisi secundum eas tabulas, quæ septem testium signis signatæ sunt, peti posse in dubium non venit. B. Strauch. Dissert. Justin. II. Aphor. 34.* Quare si subscriptio testatoris & testium desit, signacula tamen testium in duobus testamentis simul conditis appareant, Bonorum Possessionem locum esse videri poterat, cum subscriptio ex sacris constitutionibus desideretur, Jure vero Prætorio signacula testium sufficiant, §. 2. & 3. *Inst. de Test. Ord.* videatur Franzkius *Exercit. 6. Quest. 2.*

C

num.

num. 6. Eckolt. *ad Tit. de Bonor. Poss. sec. Tab. §. 4. num. 2.* sed cum hodie quantum ad solennia, non modo Jure Prætorio utamur, sed quatenus Jus Civile & Prætorium in unam consonantiam junctum est, ut clare constituit Imperator in *d. §. 3. verb. Constitutum est, ut uno &c.* hinc in universum ut Bonorum Possessio secundum tabulas, atque adeo etiam ex duobus testamentis locum habeat, præter signa etiam subscriptionem Testatoris (nisi testamentum holographum sit) *L. cum antiquitas. 28. §. ult. C. de Test. & septem testium, quin & octavi testis, si testator scribere nesciat, L. hac consultissima 21. C. de Testam. rectè requirunt B. Dn. Stryckius in Tract. de Success. ab Intestato Dissert. 9. Cap. 4. §. 50. Bolognet. in Repet. 2. C. de Bon. Poss. sec. Tab. Wesenb. & Bachov. ad §. 2. Inst. de Test. Ord. Brunnem. in L. 2. Cod. de B.P. sec. Tab. Num. 1.* Illud vero nihil refert, duo illi Codices five Testamenta simul confecta, annulo an alio instrumento quod sigillum continet, & hodie Pizetum vocant, fuerint signata: quanquam enim Jure Civili annulo præcisè ultimatum voluntatum tabulas signandas esse multi doceant, per *L. 22. §. 5. ff. Qui Test. fac. Poss. §. 5. Inst. de Testam. Jac. Cujacius Lib. 14. Observat. Cap. 11. Mejer. ad Inst. Tit. de Testam. Ord. p. 489. Müller. Jurisprud. Element. Disposit. 24. Th. 6. lit. t.* contrariam tamen sententiam, annulum non esse necessarium, rectius defendunt *Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 32. th. 10. Vinnius, ad §. 5. Inst. de Testam. Ludwell. de Ultim. Volunt. P. 2. p. 217. Vultej. ad Inst. tit. de Testam. Ord. num. 35.* quam etiam mores probant, add. *Recess. Imp. de Anno 1512. Von Notarien. tit. Von Testamenten. §. Die Form*

Form eines Testaments. *ibi*: mit ihren gewöhnlichen Signeten zu besiegeln.

§. V.

Quæ sequuntur verba : *alios atque alios heredes scripserit* : sua luce radiant, & hoc innuunt, alios in hoc, alios in altero codice heredes scriptos esse, quoniam si iidem in duobus codicibus heredes scripti fuerint, non tam duo codices sive testamenta, quam potius unius testamenti duo exemplaria forent : probant & hoc insuper illa verba, de duabus tabulis *Testamentariis* saltem Jurisconsultum loqui, quoniam in nulla alia ultima voluntate, quam in testamento heredes scribi possunt : *L. pen. §. I. ff. de Condit. Inst. §. Codicillis. 2. Inst. de Codicill.* Equidem in Codicillis quoque hereditas per fideicommissum relinqui potest, sed hoc non est *heredem scribere*, quoniam fideicommissarius, heres proprie non est, sed saltem *quodammodo* heres, item *loco heredis*, & *vice heredis* fungi dicitur : in *L. si filius familiaris. 5. verb. quia effectu quodammodo heres est. ff. Quodcum eo qui in alien. potest. L. postulante 44. §. I. verb. nam & quodammodo in partem hereditatis Senatus recipi voluit fideicommissarium, & haberi heredis loco. ff. ad Senatusconsult. Trebell. L. Si heres 68. in fin. prine. ibi. Heredis vice fungi cum, cui fideicommissum relictum est. ff. eodem tit.* Dictiones enim *quodammodo*, & *haberi loco & vice*, improprietas alicujus significati-
 væ sunt : vid. *§. restituta. 3. Inst. de fideicommiss. hered.* unde *heredem scribere*, nil aliud est, quam directum sive immediatum successorem in universum jus testatoris
 C 2 designa.

designare, quod utique in solo Testamento fieri potest.
L. Palam. ult. ff. de Jure Codicill.

§. VI.

Sequitur in Textu : *Et utrumque extet* : facile quidem aliquis hic errorem notaret, cum verbum *utrumque* ad duos codices, quorum ante meminerat Jurisconsultus, non quadret, indeque pro *utrumque* *uterque* legendum diceret, sed cum per duos codices duo testamenta intelligi jam ante demonstratum sit, textus vitio caret, & in verbis *utrumque extet*, per locutionem elypticam, testamentum subintelligi certo certius est. Interim merito ad figurationem casus hæc verba *Et utrumque extet*, appositum Ulpianus, quoniam ad agnoscendam Bonorum Possessionem secundum tabulas, quam maxime opus est, ut tabula, ex quibus Bonorum Possessio agnoscitur, tempore mortis extet. *L. I. §. 3. ff. de Bon. Poss. sec. Tab. ibi: Semel autem extitisse Tabulas mortuo Testatore desideratur. L. quod vulgò 19. ff. de Bon. Poss. contra tabul. ibi. sufficiat extitisse tabulis mortis tempore patris.*

§. VII.

Additur in lege : *ex utroque quasi ex uno* : quæ verba, duo testamenta pro uno haberi, & Jure Prætorio pariter valida esse innuunt. Notanter autem *quasi ex uno* Jurisconsultus ait : particula autem *quasi* impropriè, fictionem, & diminutionem regulariter denotat, ut in §. *constituitur. 2. in fin. Inst. de Usufruct. L. sed de pecunia 2. in fin. ff. de Usufruct. ear. rer. quæ usu consum. L. in factò 60. ff. de Condit. & Demonstrat. L. hoc colore. 2. ff. de Inoff. Testam.*

stam. Glossa in L. 9. verb. quasi emtor. ff. pro Emtores.
 Strauch. *in Lexic. Part. Jur. verb. quasi.* indeque non
 unum sed duo & diversa in textu nostro testamenta con-
 tineri Doctores communiter ajunt. vid. Brunnem. *ad. d.*
l. i. ff. de B. Poss. sec. tab. Manzius *Centur. Decif. Palat.*
Quaest. 31. Stryck. *de Success. ab Intest. Dissert. 9. Cap. 4.*
§. 36. Interim hoc verum est, si testamenta hæc *seorsim*
 confiderentur, & quatenus quodlibet separatam propri-
 mamque ex asse heredis institutionem continet: quod si
 enim *conjunctim* spectentur, ut uno tempore confecta,
 eatenus duo hæc testamenta *unum* testamentum esse de-
 fendere potest, cum & ex *effectu*, de quo infra dicitur, id ma-
 ximè appareat, ipseque Ulpianus in verbis mox sequentibus
 dicat, *quia pro unis tabulis habendum est.*

§. VIII.

Dicit porro Ulpianus: *competit Bonorum Posses-*
sio: Quid *Bonorum Possessio* sit, ipse docet in *L. 3. §. 2. ff.*
de Bon. Poss. ubi ita rectè eam definiri ait, *Jus perse-*
quendi retinendique patrimonii, sive rei, quæ cujusque
cum moritur fuit. uno verbo: est hereditas Pratoria:
 vox enim *Bonorum* hic non naturaliter accipitur, sicut in
L. subsignatum 39. §. 1. & L. Bonorum 49. ff. de Verb.
signif. ubi bona ex eo dicuntur, quod nos beent nobisque
 profint, quæque deducto ære alieno superfunt: sed civi-
 liter pro successione universitatis, seu universali Jure de-
 functi, sicut hereditas, indeque Paulus hereditatis appella-
 tione *Bonorum* quoque Possessionem contineri ait, in
L. 138. ff. de Verb. Signif. Verbum *Possessio* quoque non
 hic Possessionem seu detentionem rerum, uti *tot. tit. ff. de*
Acquir. vel Amitt. Poss. sed Jus solum habendi & perse-
 quendi bona defuncti, denotat, estque juris magis quam

corporis possessio *L. Bonor. 3. §. hereditatis. I. ff. de Bon. Poss.* ut licet nihil corporale sit in hereditate, recte tamen Bonorum Possessio agnita dici possit, uti ex Labeone Ulpianus *d. l. 3. §. I. d. t.* loquitur. Quo etiam vulgata interpretum distinctio tendit inter *Bonorum Possessionem, & Possessionem Bonorum*, hancque facti, illam Juris esse dicunt, vid. B. Schilter. *Prax. Jur. Rom. in foro Germ. Exerc. 15. §. 58.* quod discrimen licet notabile dicat Mynsingerus *ad Rubric. Inst. de Bonor. Poss.* nec facile negligendum velit Sichardus *ad Rubric. Cod. de Bonor. Poss.* non tamen apodicticum esse, certum est, & ut recte monet Bachovius *ad Treutl. Vol. 2. Disp. 15. thes. I. lit. A.* in his duobus verbis, Bonorum Possessio, nulla omnino coalitio, & oppidò quam dura & aspera conjunctio hæc esse videtur, quam etiam nulla suadet necessitas, nam non raro simpliciter *Possessio*, & in *L. I. ff. Quor. Bon.* non que Bonorum Possessio, sed *quorum Bonorum Possessio* dicitur.

§. IX.

Porro legitur in textu: *quia pro unis tabulis habendum est*: his verbis repetit Ulpianus quod jam ante innuerat, duos illos codices five testamenta uno tempore confecta pro uno haberi, *Tabulæ* enim, licet non ultimarum saltem voluntatum, sed etiam contractuum & alterius cujuscunque negotii scripturas & instrumenta quandoque notent, hinc tabulæ venditionis in *L. mulierem 2. C. si mancip. ita venier. ne prostituat.* Tabulæ dotis in *L. pen. ff. de donat. inter Vir. & Uxor.* Tabulæ Instrumentorum Reipublicæ in *L. Sed et si imaginem 31. §. I. ff. de furt.* Tabulæ nuptiales in *L. si vicini 9.*

nis 9. C. de Nuptiis. Tabula contractus, in L. quam-
vis 4. C. si quis alteri vel sibi &c. referuntur, frequen-
tamen & propriè in Jure testamentum significant.
Arg. L. 1. §. hoc interdictum. ff. de Tabul. exhib. L. 1.
ff. Testamenta quemadmod. aper. Unde Bonorum Pos-
sessiones secundum tabulas, & contra tabulas dicta:
tot. tit. ff. & Cod. de Bonor. Poss. sec. Tabulas & contra
tabulas. quod vero tam saepe Tabularum meminerint
leges, ratio est, quia mos scribendi antiquissimus fuit in ta-
bulis ligneis cera illitis, ex indeque Bonorum Possessio con-
tra tabulas, contra lignum dari vulgò dicebatur, L. quod
vulgo 19. ff. de Bonor. Poss. contra tab. itaque lignum
quandoque tabulas dicebant, uti Ovidius 2. de Ponto

Nec mea fallaci convicta est gemma figillo
Mendaces lignis imposuisse notas.

vid. Jacob. Cujacius Lib. II. Observ. cap. 14. quanquam
postea receptum sit, ut cujuscunque materia scriptura
sive instrumenta, Tabularum nomine venerint: ita enim
Ulpianus in L. 1. ff. de Bonor. Poss. sec. tab. ait: Ta-
bulas Testamenti accipere debemus omnem materiae fi-
guram, sive igitur tabulae sint lignae, sive cujuscunque
materiae, sive chartae, sive membranae sint, vel si è corio
alicujus animalis, tabulae rectè dicentur. scil. quia ni-
hil interest, testamentum in tabulis, an in chartis, membra-
nisve, vel in alia materia fiat. §. nihil autem 12. Inst. de
testam. qua occasione quaeritur, An & Opistographum
tabularum nomine veniat, ut testamentum in illo scri-
ptum, Bonorum Possessionis secundum tabulas locum fa-
ciat? & respondet Ulpianus in L. 4. ff. de Bonor. Poss.
secund.

secund. tab. Chartæ appellatio & ad novam chartam refertur, & ad deletitiam, proinde etsi in Opistographo quis testatus sit, hinc peti potest Bonorum Possessio. Equidem quid Opistographum sit, adhuc dubitari legimus, & jucundum est, quod Joh. Coralius *Miscellaneor. Jur. Civil. lib. I. Cap. 18.* refert, cum Rabula quidam forensis, qui omnia tumultu & vociferatione concutiebat, cum Accursio doceret, Opistographum ab Opibus & Graphia, quod est scriptura, dici, quasi scriptura suarum opum: Riserunt qui aderant, candidi Jurisperiti, hominis inscitiam, & novam verbi derivationem. Cæpit itaque indignari & stomachari homo ille disertus, & si Diis placet, eruditus, præclaramque Studioforum coronam, sic stomachatus sine pudore reliquit. Sed res non admodum obscura est, ex Græco enim *ὀπίσθεν* id est retro & *γραφῆ* quod est scriptura verbum natum est: Charta itaque quæ etiam in tergo sive utraque pagina scripta fuisset, Opistographa fuit appellata, & quæ tam à facie, quam à tergo scripta extabant, in Opistographo scripta dicebantur, cum veteres in dorso non scriberent. vid. Guid. Panticol. *Thesaur. Var. Lect. Lib. 2. cap. 109.* Calvin. *Lex. Jur. verb. Opistographum.* Alciatus *Lib. disputat. 2. cap. ult.* atque hinc clarum redditur Responsum Ulpiani in *cit. L. 4. dict. tit.* quod etsi quis chartam deletitiam h. e. quæ in uno latere conscripta sed deleta est, produceret, in cujus tergo testamentum esset conscriptum, Bonorum Possessio peti possit. vid. B. Dn. Stryckius in *Tract. de Cautel. Contr. Sect. 2. cap. 7. §. 17.*

§. X.

Tandem Ulpianus in textu ait: & *supremum utrum-*

utrumque accipiemus : Equidem *supremum* idem alias quod *summum* esse solet, quo sensu duo Imperii Tribunalia Cæsareo-Aulicum & Camerale, *suprema* vocantur, hic vero pro *ultimo* & *novissimo* accipitur, quasi diceret Ulpianus, utrumque testamentum pro *novissimo* & *postremo* habendum est : quoniam enim in concursu duorum testamentorum, quæ diversis temporibus facta sunt, illud saltem valere potest, quod *supremum* seu *posterius* est, neque Prætor quascunque tabulas utut septem testium ignis signatas, Bonorum Possessione jurat, sed saltem illas, quæ *supremæ* sunt, hinc Ulpianus ait, in præsentis casu utrumque testamentum, quia simul est confectum, pro *supremo* sive *ultimo* habendum esse ; Eleganter enim idem Jurisconsultus quid testamentum *supremum* sit explicat in *L. I. §. I. ff. de Bonor. Poss. sec. tab.* quando dicit : *Non omnes tabulas Prætor sequitur hac parte edicti, sed supremas, hoc est, eas, quæ novissimæ ita factæ sunt, post quas nullæ factæ sunt : Supremæ enim hæ sunt, non quæ sub ipso mortis tempore factæ sunt, sed post quas nullæ factæ sunt, licet hæ veteres sint.* quo sensu etiam Papinianus in *L. qui ex liberis. II. §. planè. ff. de Bonor. Poss. sec. tab.* ait : *si quis aliud testamentum fecisset, ac supremas tabulas incidisset, ut priores supremas relinqueret &c.* eodemque plane modo, *supremum* pro *ultimo*, sive eo, post quod nihil sequitur, accipit Africanus in *L. ex duobus. 34. verb. qui supremus moreretur. ff. de Vulg. & Pupill. Substit.* & Paulus in *L. proximus. 92. verb. supremus est quem nemo sequitur. ff. de Verb. Signif.* item Tryphoninus in *L. qui duos. ibi : ei qui sequentis moritur. ff. de Rebus Dub.* nec non Cicero in

D

Tusc

Tusc. Si supremus ille dies non extinctionem, sed commutationem affert loci, quid optabilius?



CAPUT IV.

Partitionem Textus, Summam,
Casum, & *Ἀντιλογίαν* continet.

SUMMARIA.

Dividi Textum in tres Partes. Primā Factum, secundā Decisionem facti, tertiā Decisionis rationem contineri. Summa textus. Figuratur casus. Vera facti species narratur de Muliere quæ per pulchrum stratagema duo eodem tempore condidit testamenta, inque uno maritum, in alio proximo consanguineos heredes scripsit. Judicium Jctorum Ingolstadtensium. Rationes dubitandi proponuntur. Rationes decidendi & Responiones ad dubitandi Rationes.

§. I.

Sic verbis Textus singulatim explicatis, ad reliqua quæ ad Resolutionem ejus pertinent accedendum est: dividi commodè potest textus in tres partes: quarum Prima factum sive casum, Altera facti decisionem, Tertia decisionis rationem continet; Prima his verbis constat: *Sed etsi in duobus Codicibus simul signatis alios atque alios heredes scripserit, & utrumque extet.* Secundam hæc verba proponunt: *Ex utroque quasi ex uno competit Bonorum Possessio.* Tertia sequentibus verbis absolvitur: *quia*

quia pro unis tabulis habendum est, & supremum utrumque accipiemus.

§. II.

Summa hæc est: si duo testamenta diversi tenoris in quibus alii atque alii heredes scripti sunt, post mortem testatoris producantur, quæ tamen uno eodemque tempore sunt confecta, tunc quisque heres ex suo testamento Bonorum Possessionem agnoscere potest, nec unum testamentum alteri derogat, quia simul sunt confecta, & utrumque pro ultimo sive novissimo habendum est.

§. III.

Species Facti in prima legis parte proposita hæc est: Fecit Titius uno tempore duo diversi tenoris testamenta, in quorum uno Cajum, in altero Sempronium heredem scripsit, decedente Titio, hæc testamenta aperiuntur, cumque diversa plane heredis institutio appareat, & tamen idem planè tempus, annus, mensis, diesque, iidemque plane testes in subscriptione conspiciantur, quaritur, quodnam testamentum, an neutrum, an utrumque valeat.

§. IV.

Sed ne in ficta specie facti subsistamus, notabilem casum qui re vera contigit, & etiamnù sæpe accidere potest, ex Casparo Manzio, Consiliario, cum viveret, & Cancellario Aulico Neo-Palatino *Centur. Decis. Palat. Quæst. 31.* referre libet: ita verò illum narrat: *Cum maritus quidam opportunè & importunè urgeret uxorem suam locupletem, ut testamentum faceret, & quia liberos non haberent, exclusis proximioribus consanguineis suis, se heredem institueret, illa simulavit, se ipsius precibus & monitis morem gerere velle. Facto igitur testamento, ut*

D 2

mari-

maritum placidum & benevolum retineret, ipsum ex
 asse heredem instituit, eandemque scripturam ipsi legen-
 dam exhibuit, ut curaret in mundum redigi. Abiit au-
 tem, & alterum testamentum diversi tenoris condidit, in
 quo neglecto marito, consanguineos suos heredes scripsit,
 & sub eodem dato describi & mundari curavit. Pau-
 lo post, ut maritum magis placaret, septem testes convo-
 cavit, quibus significavit, se ultimam suam voluntatem
 in duobus hisce exemplaribus productis, & forinsecus
 ostensis, descripsisse, rogare proinde illos, ea de causa con-
 vocatos, ut suis sigillis, & manuum subscriptionibus, il-
 lam munire, eique robur & firmitatem addere velint.
 Annuerunt petitioni testes, & eodem tempore utrumque
 testamentum, quod ejusdem tenoris esse putabant, signa-
 runt & subscripserunt, adeo ut nihil solennitatis deesset.
 Post obitum mulieris resignantur chartæ, & ad publi-
 cationem, heredes ab intestato more solito convocantur,
 cumque maritus se solum heredem ex asse futurum cre-
 deret, ecce inspectis utrisque tabulis apparuit, in una ma-
 ritum, in altera cognatos heredes institutos. Lis igitur
 inter ipsos nata fuit, quis eorum defunctæ succedere de-
 beret.

§. V.

Jam videri omninò poterat, & duo Titii in primo, &
 duo Uxoris in secundo casu, testaments, prorsus invalida
 esse, & successioni non testamentaria, sed ab intestato lo-
 cum fore, testaturque praelaudatus Manzius *cit. loc.* quod
 cum propositum casum, de muliere testatrice, una cum
 decisione sua ex *L. I. §. 6. ff. de Bonor. Possess. sec. tab.*
 Dn. Collegis suis Inclytæ Facultatis Juridicæ in Electorali
 Universi-

Universitate Ingolstadiensi ostendisset, significaverint ipsi, quod si textum ipsum non vidissent, ipsi totum contrarium responsuri fuissent. Quia (1.) nemo duobus testamentis ita decedere potest, ut utrumque valeat, sed posterius rumpit prius, dum per illud à priori recessisse, suamque voluntatem mutasse intelligitur: imò paradoxum planè videtur duo à pagano (in milite enim secus esse jam supra ex L. 19. ff. de Testam. Milit. dictum est) condita testamenta simul subsistere, quoniam (2.) testamentum directam heredis institutionem, sive designationem successoris in univèrsum jus defuncti continet, prout verò duo in solidum ejusdem rei domini esse non possunt, sic etiam duos in solidum heredes, aut successores in univèrsum jus esse, inconveniens est. Accedit, (3.) quòd testamentum nobilissima ultimarum voluntatum species sit, voluntas autem *ultima* non nisi una esse potest, ut in regulam proinde abierit, unius hominis non nisi unum testamentum esse: vid. Harprecht ad §. 2. Inst. *Quibus mod. Testam. infirm.* Bardili de *Revocatione ultimarum voluntatum*, §. 26. ubi ait: *Qui testamentum facit, censetur ex natura hujus dispositionis id facere, de univèrsis bonis, itaque sicut non potest in duos transferri ejusdem rei domini in solidum, ita duo testamenta diversa simul consistere non possunt.*

§. VI.

Sed his non obstantibus, respondet Ulpianus, duo testamenta simul confecta, in quibus alii atque alii heredes scripti sunt, simul valida esse, ut licet juxta rigore juris, non successio civilis, tamè ex æquitate Prætoria, Bonorū Possessio sec. tabulas locum habeat; neque sine ratione respondet,

D 3

quia

quia ejusmodi testamēta quæ uno actu confecta sunt, pro uno habenda sint, perinde ac si diversi illi heredes in una charta scripti fuissent. Itaq; non obstat quicquid in contrarium allatū est, *Prima* enim dubitādi ratio, in duob^o testamentis, diversis temporibus confectis obtinet, ubi omninō verū est, quod testator per posterius à priori recessisse, voluntatemque suam mutasse intelligatur, qui vero duo testamēta simul & uno tempore facit, ultimum suum elogium duabus chartis, quarum neutra prior, neutra posterior est, conjunctim exprimit, sicque unum quasi testamētum fecisse censendus est, siquidem in his quæ simul fiunt, nihil prius aut posterius est. Gotofred. *ad d. Leg. Lauterbach. Colleg. Theoret. Pract. Tit. de Bonor. Poss. sec. tab. §. 3.* unde nec *Secunda* obstat, quòd duo in solidum heredes esse non possint: neque enim hoc testatorem voluisse præsumendum est, sed quia heredes separatim in duabus chartis scripti, perinde habentur, ac si in una conjunctim nominati fuissent, locum habebit quod Imperator constituit in *§. Si plures. 8. Inst. de Hered. Inst.* nempe si plures nullis partibus nominatis heredes scripti sunt, ex æquis partibus eos heredes esse. *Tertia* ex jam traditis evanescit, eamque Ulpianus verbis finalibus elidit, dum ait, & *supremum* (h. e. ultimum) *utrumque accipiemus.*

CAP.

CAPUT V.

Ampliationes & Limitationes
Textus exhibet.

SUMMARIA.

Dispositionem Legis etiam in Testamentis publica auctoritate confectis locum habere. Duo Testamenta uno tempore Principi oblata valida esse. Etiam si Scribis Principis non fuerint inclusa. Si dubitetur an uno actu testamenta fuerint oblata quid Juris sit. Duo testamenta Actis Judicis simul insinuata quoque firmitate habere. Num opus sit duo testamenta à Judice testatori fuisse prælecta. Testamentum publicum ab ipso testatore offerri debere. Quod Responso Jctorum Lipsiensium firmatur. Textum etiam in duobus testamentis privilegiatis obtinere. Cessare Textum si duo testamenta uno quidem die, sed non uno tempore & actu fuerint confecta. Nec locum habere in testamentis de quibus non constat quodnam prius quodnam posterius sit. Si duo testamenta proferantur, quorum unum quidem diem adjectum habeat, alterum verò non, nec constet, an, quod sine dato est, sit prius an posterius, neutrum testamentum valere. Num annus & dies in testamento exprimendus. Etsi certò confectis uno actu duo testamenta esse condita, si tamen quid desit quod ad B.P. secundum tabulas requirit Prætor, testamenta non valere. Exemplis hoc ostenditur.

Si duo

*Si duo testamenta non literis, sed notis fuerint per-
scripta, num Bonorum Possessionis locus sit. Notas
planè usitatas & indubitabiles non vitare tabulas.*

§. I.

STatitque ex textu nostro regula, duo testamenta si-
mul confecta valida esse: Neque (ut *Ampliationes*
addam) interesse arbitror, privata an publica fide & au-
thoritate fuerint confecta: quanquam enim Ulpianus
de duobus testamentis privatis loquatur, dum *signatorum*
testamentorum meminit, quia tamen non minor publico-
rum, quam privatorum testamentorum autoritas esse de-
bet, & quæ in duobus testamentis privatis uno tempore
confectis, illa quoque in duobus testamentis publicis si-
mul factis, ratio militat, hinc idem quoque in his, quod
in illis, jus obtinere æquum est, quoniam in paribus causis
paria jura desiderantur, ut loquitur Feudista 2. *Feud.* 54.
Quare si quis ultimum suum elogium duobus testamen-
tis comprehensum, in quibus alii atque alii heredes scripti
sunt, uno eodemque tempore Principi obtulerit, ut scriniis
inferantur, ejusque autoritate sustineantur, hæc simul Jure
quoque Prætorio, data bonorum possessione secundum
tabulas, valere dicendum est: arg. *L. omnium* 19. *C. de*
Testam. Hahn. *ad Wesenb. tit. de Bonor. Poss. sec. tab. in*
fin. & parum referre censeo, an scriniis Principis ad tem-
pus usque mortis duo hæc testamenta inclusa manserint,
an testator mox post factam oblationem iterum secum
sumserit, modò aliunde non constet, testatorè, animo vo-
luntatem suam mutandi, abstulisse, Berlich. *Part. 3. Con-*
clus. 4. num. 34. Carpzov. *Jurisprud. For. Part. 3.*
Const.

Const. 3. Def. 30. Tabor. de Testam. Princ. Oblat. Mejer. Comment. ad Inst. tit. de Testament. Ord. Quod si dubitetur an uno actu testamenta oblata fuerint, si tamen id per duos saltem testes idoneos probari possit, valere testamenta certum est: arg. l. 2. ff. de Testib. junct. l. 19. in fin. C. de testam. Bardili Conclus. Theor. Pract. Exerc. 3. Concl. 12. Befold. Consil. 293. num. 101. quamquam facillè hac de re dubitari non queat, cum tempus insinuationis hodie à tergo annotari soleat. Mejer. ad Inst. c. 1.

§. II.

Similiter (2.) si uno tempore duo testamenta quis Actis insinuaverit, hæc pariter valere dicendum est: nec quid intererit, ipse testator propria manu illa scripserit, an à tertio aliquo scribi curaverit, modo hoc posteriori casu, (præsertim si planè rudis testator & literarum ignarus fuerit, adeò ut neque literas scribere, neque legere sciat) hæc duo testamenta ipsi fuerint prælecta, ne adulterinæ pro veris supponantur voluntates, Carpzov. Decis. Illustr. 149. Lauterb. de Testam. Jud. §. 24. seq. Befold. Consil. 123. & 126. Brunnem. ad l. 21. ff. Qui testam. fac. pos. Huber. Posit. Jur. ad Inst. tit. de test. §. 38.

§. III.

Hoc tamen ad duo illa testamenta quæ Principi offeruntur, aut quæ Actis simul insinuantur, necessum esse arbitror, ut ipse testator elogia sua ultima obtulerit: Quamquam enim etiam per nuncium, vel per procuratorem speciale mandatum habentem, id fieri posse doceant, inter alios Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 32. th. 9. Myler. de Princip. & Stat. Imp. cap. 28. in fin. quia tamen in
E privæ-

privatis testamentis ad fraudes & fallitates evitandas præsentia testatoris necessaria est, sic ut testes & videre, & audire testatorem debeant, *l. si non speciali. 9. verb. in conspectu testatoris. & l. si unus. 12. verb. coram testatore. Cod. de Testam.* Princeps autem, & Judex, testes repræsentant vel supplent, conveniens est, ut quemadmodū ipsi testes, sic quoque ipsemet Princeps, vel Judex, quos in locum testium surrogavit Imperator, testatorem videant: *arg. l. omnium 19. Cod. de Testam.* ubi hæc duo æquiparantur, Actis publicis, & privatorum, testium sc. auri-
 bus mentis sua postremum judicium publicare: æquiparatorum vero æquiparata ratio esse solet: Nec impedit solennitates circa testes in testamento publico remissas esse, siquidem inde, non illud etiam remissum esse, arbitrandum est, quod ad fraudes removendas & conservandas testantium voluntates adinventum est, cum negari nequeat, suspicione testamentum non carere, quod Judicū vel Principi per intermediam personam, non ab ipso testatore oblatum est, prout rectè docent Moller. *Lib. I. Semestr. cap. 5.* Berlich. *Part. 3. Concl. 4. num. 32. seq.* Lauterb. *de Testam. Judicial. §. 14.* Daniel Dieterich. *in Tract. de Testatore cauto §. 300. & 306.* Vultej. *Vol. I. Consil. Marpurg. 34. num. 37.* Richter. *Part. I. Decis. 20.* Mev. *ad Jus Lubec. Part. 2. Tit. 1. Artic. 2. num. 89. seq.* Carpzov. *Jurisprud. For. Part. 3. Constit. 3. Def. 23. & Illustr. Decis. Part. 3. Decis. 293.* ubi JCos Lipfienles ita respondisse refert: *Ob nun wohl aus der darüber aufgerichteten Registratur so viel zu befinden / daß der Testator dem Chur. Fürstl. Sächsischen Aupt. Schösser in Beyseyn etlicher Persohnen / seinen letzten Willen so er zu Papier gebracht / unterschrieben / und besiegelt gehabt /*

gehabt/übergeben/ und gebeten / daß Ehr. Fürst.
Durchl. Unserm gnädigsten Herrn solches zur Rati-
fication unterthänigst übergeben werden möchte / wel-
ches auch erfolget/dahero selbiges Testament auf allen
Fall vor einen letzten Willen / coram Principe aufge-
richtet/ angeführet werden will. Dannoch aber und
diereuil auch ein Testamentum coram Principe aufge-
richtet/ anderer Gestalt nicht beständig / als wann es
vom Testatore selbstem und in der Person überreicht
wird/ so aber in gegenwärtigem Fall nicht geschehen.
So ist demnach mehrbemeltes Testament in seinen
formalien nicht beständig / sondern es verbleibet seine
Erbschafft dessen Erben ab intestato billig D. R. W.

§. IV.

Ampliatür (3.) Lex nostra, si duo Testamenta privi-
legiata v. c. ad pias causas, parentum inter liberos, tem-
pore pestis &c. uno eodemque actu fuerint confecta:
Nam si duo testamenta quæ solenniter testator uno tem-
pore fecit signavitque, ideo simul valida sunt, quia, ut Ul-
pianus in textu nostro loquitur, pro unis tabulis haben-
dum, & supremum utrumque accipiendum est, quidni
idem in duobus testamentis privilegiatis simul conditis
obtineret? cum non minor privilegiati, quam solennis te-
stamenti vis sit & autoritas, unde etiam Tribonianus in §.
I. Inst. de Bon. Poss. generaliter ait, Bonorum Possessionem
secundum tabulas omnibus competere qui heredes
jure scripti sunt. Hahn, *ad Wesenb. tit. de Bon. Poss. sec.
tab. in fin.* Interim ad testamentum militis in expeditione
constituti, quod præ omnibus summè privilegiatum est,
hoc non pertinet, siquidem ille duobus testamentis, non

saltem quæ simul, sed & quæ diversis temporibus sunt confecta, deeedere potest, sic ut posterius, si sic voluerit miles, non rumpat prius, sed utrumque directò valeat: *l. quærebatur. 19. ff. de Testament. milit.* Vinnius ad *§. sed et si priore. 3. Inst. Quib. mod. testam. infirm. num. 3.* ubi rectè ait: *Militi licet plura testamenta facere, sive simul, sive separatim &c.* unde specialem bonorum possessionem secundum tabulas ex testamento militis, non contra tabulas pollicetur Prætor, quia ratæ militum debent esse voluntates, quomodocunque factæ fuerint. *l. un. ff. de Bonor. Poss. ex testam. milit.* Struv. *Synt. Jur. Civil. Exerc. 37. §. 56.* Welenb. *in Parat. ff. tit. de Bonor. Poss. ex Testam. milit.*

§. V.

Quæcunque vero de testamentis duobus simul validis hæctenus dicta sunt, tum demum procedunt, si certò constet, quod simul h. e. uno tempore & actu fuerint confecta: argumento legis nostræ, verb. *simul. junct. L. hac consultißima 21. C. de Testam.* ibi: *nunc eodemque die ac tempore*: itaque, ut *Limitationes* quoque textus subjungam, cessat dispositio Legis, si (1.) duo testamenta uno quidem die, sed non uno tempore & actu (v. g. unum horis matutinis, alterum vespertinis) subscripta, signataque fuerint; cum enim hoc casu unum prius, alterum posterius sit, regulæ inhaerendum erit, prius per posterius rumpi, *§. posteriore 2. Inst. Quibus mod. test. in firm. L. cum. in princ. ff. de Injust. rupt. test.* & testatorem voluntatem suam, quippe quæ ambulatoria esse solet, per posterius mutasse: *L. quod si iterum 4. ff. de Adim. vel transfer. legat.* etiamsi in primo dixerit, quod illud mutari nolit, cum nemo hanc

mo hanc legem sibi dicere possit, ne à priori voluntate ei recedere liceat. *L. si quis. 22. ff. de Legat. 3.*

§. VI.

Similiter (2.) si duo testamenta fecerit testator, de quibus non constat, quodnam prius quodnam posterius sit, quia in utroque nec annus fortè nec dies expressus, & testes qui subscripserunt, signaruntque, jam decesserunt, legis nostræ decisionem cessare conveniens est, scilicet quia de voluntate *ultima*, quæ sola attendenda est, non constat, itaque neutrum hoc casu valere, & successioni ab intestato locum fore, rectè statuitur, facit enim huc, quod in casu simili Jurisconsultus Paulus *in l. 30. ff. de Testam. Tutor.* eleganter ait: *Duo sunt Titii, pater & filius: datus est tutor Titius, nec apparet de quo sensit testator, quero quid sit juris? Respondit: is datus est, quem dare se testator sensit, si id non apparet, non jus deficit, sed probatio, igitur neuter est tutor.* Vid. Manz. *de Testam. valid. & invalid. Tit. 4. Quæst. 3.* Julius Clarus *§. Testamentum Quæst. 100.* B. Stryck. *de Cautelis Testam. cap. 15. §. 42. in fin.* Bardili *de Revocat. Ultim. Volunt. th. 27. in fin.* Harprecht. *ad §. 2. Inst. quib. modis testam. infirm.* Richter. *ad Auth. Quod sine. Cod. de Testam. num. 21.*

§. VII.

Quare etiam (3.) hoc statuendum arbitror, quod si duo testamenta proferantur, quorum unum quidem diem adjectum habet, aliud vero non item, nec constat, an illud sine dato, sit prius an posterius, neutrum, sive de Civili, sive de Prætorio Jure sermo sit, subsistere, adeoque dispositioni Legis nostræ locum non fore: scilicet quia

Ulpianus duos Codices sive testamenta *simul* h. est. uno actu signata fuisse præsupponit, quod itaque de casu certo disponit, ad incertum non videtur applicandum esse, maximè cum hic in jure profus singulari versetur, quo contra regulam duobus testamentis decedere pagano permittitur, quod ut extendatur, ratio juris non patitur: nam quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentias trahenda sunt. *Cap. quæ à Jure. 28. de R. J. in 6. l. quod verò 14. ff. de Legib. L. Si vero. 64. §. de Viro ff. Solut. Matrim. Carpzov. Jurispr. For. P. 2. Const. 14. Def. 50. num. 6. Tabor ad Barbos. lib. 5. cap. 37. axiom. 3. Dissentit. Dn. Stryck. de Succes. ab Intest. Diss. 9. c. 4. §. 37.*

§. VIII.

Ex quo apparet, quod licet anni & diei expressio in testamento quantumvis solenni præcisè non sit necessaria, quoniam nullibi illa requiritur, nec in *L. hac consultissima. 21. C. de Testam.* in qua omnia solennis testamenti requisita curatè recensentur, ejus ulla mentio fit, bene tamen testator agat, si Datum, ut hodie loquimur, non omitat, ne si diversa post mortem producantur testamenta, & constare non queat, quodnam prius quodnam posterius sit, utrumque corruat, quoniam simul h. e. uno tempore & actu esse condita, tanquam rarum contingens, non præsumendum est. Illud planè singulare est, quod in testamento Parentum inter liberos, ut ut maximè privilegiatum sit, annus & dies exprimendus sit, ex constitutione Imperatoris in *Novell. 167. Cap. I.* sed rationem hujus bene affert Harprecht. *ad §. 3. & 4. Inst. de Testam. num. 196. seq.* Solennitates testamentorum, ait, procul dubio ob præcavendas falsitates & fraudes, quæ facilius & frequentius

sius in testamentis, quam contractibus committuntur, à Legislatoribus inventæ sunt; Interest quippe Reipublica, falsitates & fraudes ab ultima voluntate esse remotas: jam vero omnes solennitates testium ad perfectum testamentum necessariæ & ad tegendam fraudem introductæ in testamento imperfecto inter liberos conficiendo, in favorem liberorum relaxatæ sunt: quoniam testamenta imperfecta inter liberos ab istis solennitatibus Juris Civilis exempta, periculosis falsitatum machinationibus exposita videbantur: idcirco visum fuit Imp. Justiniano in *d. Novell. 107. C. 1.* nonnullas solennitates, testamento inter liberos peculiares, non tamen difficiles & operosas, sed facilimas, in quibus etiam annotatio temporis, sive anni, mensis & diei reperitur, inducere.

§. IX.

Sed etfi (4.) certò constet uno actu duo testamenta esse condita ut utrumque pro supremo haberi possit, si tamen quid desit, quod in genere ad Bonorum Possessionem secundum tabulas requirit Prætor, vis omnis istis testamentis & auctoritas deerit: itaque si verbi gratia testamenta tempore mortis testatoris non extent, *L. 1. §. 3. ff. de Bon. Poss. sec. tab.* ibi: *Semel autem extitisse tabulas mortuo testatore desideratur*: vel extent quidem sed non contineant nomen agnoscentium, *l. ult. ff. d. t.* aut septem testium signa non adsint, *§. 2. & 3. Inst. de Testam. Ord. l. cum tabulæ 7. ff. de Bon. Poss. sec. tab.* aut testator non utroque, & conditi testamenti & mortis tempore, testamenti factionem habuerit *L. 1. §. 8. ibi: exigit Prætor ut is cuius bonorum possessio datur, utroque tempore Jus testamenti faciendû habuerit. ff. de Bonor. Poss. sec. tab.*

aut

aut qui in testamentis illis instituti sunt heredes, inutiliter instituti sint, *L. cum tabulæ 6. ibi; si inutiliter quis sit institutus, nec ad Bonorum Possessionem inutilis institutio proficit. ff. d. B. P. sec. tab.* frustra bonorum possessio agnoscitur, quoniam non qualescunque tabulas, sed quæ validæ sunt, Prætor tueri voluit;

§. X.

Atque huc etiam pertinet si NOTIS, non literis duo illa testamenta conscripta fuerint, nam ut Jurisconsultus Paulus *in l. sed cum patrono. 6. §. ult. ff. de Bonor. Possess.* ait: *NOTIS scriptæ tabulæ non continentur edicto, quo Bonorum Possessio datur, sed literis tantum scripta, quia notæ, literas non esse Peditius scribit. vel quod notæ depravationi & corruptioni sint obnoxia, vel quia notæ certam significationem non habent, sed ferè arbitrarium, à Notariis (unde fortè nomen acceperunt) ut celerius scribere possint excogitatum: dicuntur etiam Notariæ, item, Sigla vel Singlæ, & nihil aliud quam compendia dictionum, sive compendiarium scriptionem denotant: vid. Jacob. Cujacius lib. 3. Observ. cap. 3. & lib. 12. cap. ult.* quod fallax & lubricum scribendi genus, ut ut antea valde usitatum, quia tamen litium materiam suppeditavit, meritò postea oderunt Leges: in primis extat Constitutio Justiniani, qua quicquam in libris suis *Notis* vel *Siglis* scribi sub pœna falsitatis vetuit: ita enim in Constitutione *de Confirmat. Digestor. ad Senat. & omnes populos §. 22.* ait: *Pœnam falsitatis constituimus & adversus eos, qui in posterum Leges nostras per Siglorum obscuritates ausi fuerint conscribere, omnia enim, id est, & nomina prudentium, & titulos, & librorum numeros,*
per

per consequentias literarum volumus, non per Sigla manifestari, ita ut qui talem librum sibi paraverit, in quo Sigla posita sunt, in qualemcunque locum libri vel voluminis, sciat inutilis se esse codicis dominum: neque enim licentiam aperimus, ex tali codice in iudicium aliquid recitare, quod in quacunq[ue] sua parte Siglorum habet malitias. Ipse autem librarius qui eas inscribere ausus fuerit, non solum criminali p[œ]na secundum quod dictum est, plectetur, sed etiam libri æstimationem in duplum domino reddat, si & ipse dominus ignorans talem librum vel comparaverit, vel confici curaverit: quod & antea à nobis dispositum est, & in Latina Constitutione & in Græca quam ad Legum Professores demisimus. add. Novell. 107. cap. 1. & Auth. Quod. sine. Cod. de Testam. Ordnung der Notarin zu Cölln de Anno 1512. §. item die Notarien sollen sich auch hüten x. ubi Notarii à signis notisque ejusmodi abstinere jubentur: illud singulare est, quod militis testamentum notis conscriptum valeat: L. Lucius. 40. ff. de Testam. Milit. unde Cujacius Lib. 3. Observ. cap. 3. rectè ait: Licet edicto non permittat Prætor nisi Bonorum Possessionem secundum tabulas literis præscriptas, tamen ut etiam decreto, datur bonorum possessio secundum nuncupationem, l. ult. C. de Codicill. l. 2. C. de bonor. poss. sec. tab. & secundum voluntatem intestati ex imperfecto testamento, l. si duobus test. §. si prius. ff. de Bonorum poss. contra tab. & heredis nomine post consumationem testamenti ante mortem testatoris incautè deleti, secundum voluntatem: nec non secundum municipalia gesta, videlicet si gestis municipalibus iudicium supremum aliquis composuerit: ita mi-

¶

litio

in is testamento per notas conscripto, bonorum possessionem rectè dicam secundum notariam decerni. Planè si ultimæ voluntatis tabulæ Notis planè usitatis & indubitabilibus fuerint perscriptæ, ut de voluntate testatoris quæstio moveri nequeat, cujusque etiam pagani testamentum valere, & si duo uno actû simul fuerint confecta, bonorum possessioni secundum tabulas, ex nostro textu locum esse cenfeo, per L. Quoties. 9. §. 8. ff. de Heredib. Instit. ubi Ulpianus ita ait: Si quis nomen heredis quidem non dixerit, sed indubitabili signo eum demonstraverit, quod pene nihil à nomine distat, valet institutio. vid. Bachov. ad Treutl. Vol. 2. Disp. 15. th. 4. lit. a. verb. literis scriptas. Rittershus. in Exposit. Novellar. Part. 6. cap. 2. num. 5. & seqq. Sichard. ad Auth. Quod sine. Cod. de Testam. num. 4. Richter. ad eand. Auth. num. 17. unde etiam per Abbreviaturas consuetas, aut Zifras, quibus nova numeros exprimendi ratio, à Saracenis accepta, per Gerebertum, qui A. C. 998. Pontificatum Romanum & nomen Sylvestri II. adeptus, per Europam divulgata est, tabulas non vitari, nec Bonorum Possessionem impediri rectè statuit B. Schilterus in Praxi Juris Rom. in foro Germ. Exerc. 41. §. 6. quanquam Notarii etiam ab ejusmodi Zifris & abbreviaturis regulariter abstinere debeant: vid. dict. Const. Imp. de A. 1512. §. item die Notarien re. verb. oder auch durch Ziffer/Zeichen/ oder Notas &c.

CAP.



CAPUT VI.

Successionem Prætoriam, quæ ex
duobus Testamentis com-
petit, explicat.

SUMMARIA.

*Demonstratur Bonorum Possessionem adhuc hodie non
utilem saltem sed etiam necessariam esse. Ad Succes-
sionem tamen quæ ex Legibus Principum, Comitum-
que Imperii derivatur, malè eam applicari. Bono-
rum Possessionem aliam Juris Civilis corrigendi sup-
plendique, aliam adjuvandi saltem & confirmandi
gratia esse comparatam. Qualis Bon. Possessio sit,
quæ scriptis in duobus Testamentis heredibus compe-
tit. Bonorum Possessionem agnoscendam esse, & sine
agnitione nec hodie Successioni Prætorie locum dari.
Quomodo agnitio fiat, & coram quo Judice. Coram
Notario & testibus malè illam fieri. Intra quodnam
tempus Bonorum Possessio agnoscenda sit. Tempus il-
lud, utut breve, melius tamen triginta annorum spa-
cio esse. Non currere nisi scienti. Adversus lapsum
temporis præfinit, nec sexum, nec rusticitatem excu-
sare. Bonorum Possessionem intra legitimum tempus
agnitam esse, successorem Prætorium probare oportere,
sive actor, sive reus & in possessione hereditatis
fit.*

fit. Effectus agnitæ Bonorum Possessionis recensentur. Coronidis loco notabilia quædam ex textu subjunguntur.

§. I.

SIC textu resoluto, satisque ostenso, duo testamenta simul & uno actu confecta valida esse, nunc de bonorum possessione sive successione Prætoria, quam ex illis testamentis competere Ulpianus ait, paucis agendum est. Quamquam enim videri poterat frustra hodie de bonorum possessione verba fieri, quia nomen bonorum possessionis, & successoris prætorii, raro admodum in judiciis usurpari cernimus, imò nullum usum bonorum possessionis superesse non saltem liberalis legum abrogator Simon à Grœnewegen *Tract. de Legib. abrogat. ad tit. Inst. de Bonor. Poss.* sed & alii Jurisconsulti scribunt, in primis Vinnius *ad §. ult. Inst. per quas pers. cuique acquir. num. 5.* Zœnius *ad ff. tit. quis Ord. in bon. poss. serv. in fin.* Val. Guil. Forster, *Disp. 16. th. 8.* Mudæus *ad tit. Cod. qui admitti ad bon. possess.* Henr. Gisebert. *in Justiniano harmon. tit. de Bonor. Poss. num. 259. & 260.* quia tamen rationes quibus moventur, nullius omnino momenti sunt, quas ordine refert refutatque B. Dn. Stryckius *in tract. de Success. ab Intest. Diss. 9. cap. 4. §. I. & seq.* nec ullibi in Novellis Justinianus omnes, sed saltem quosdam, ex illis, ad hereditatem vocavit, quos Prætor per B. P. ad successionem admiserat, non video quomodo omnem bonorum possessionem abrogatam, & nunquam hodie necessariam esse, defendi possit. Si itaque necessaria est illis qui nulla, etiã novissima, Lege, sed à Prætore saltem ad success-

ſucceſſionē vocantur, ipſum jus quoque, quod circa bonor.
 poſſeſſionem ſtatuit Prator, etiamnū obtinere certum eſt.
 Tametiſi enim Jus Pratorium confirmaverit Imperator,
 eandemq; ipſi, qua Juri Civili competit, autoritatē dede-
 rit, naturam tamen Juris Pratorii non mutavit, quin po-
 tius jus illud cum originali ſua qualitate, & quatenus Præ-
 torium h. e. ſalvâ primæva natura approbavit: vid.
 Schilterus *Prax. Jur. Rom. in foro Germ. Exerc. 15. §.*
65. prout itaque jus illud rationem ſuam formalem, qua
 à Jure Civili ſeparatur, in aliis materiis v. g. præſcriptione
 Actionum, retinuit, ſic illam in materia bonorum poſſeſ-
 ſionis quoque non amiſit, quia correctio juris nunquam
 niſi expreſſe appareat, ſtatueda eſt; unde non ſaltem in
 Saxoniam uſus B. P. etiamnum ſupereſt, uti conſtat ex Con-
 ſtitutione Electorali *X. Part. 3.* ibi: **So iſt ſolches Teo-
 ſtament ſaltem Jure Pratorio kräftig;** quo clarè ſatis
 oſtendit Sereniſſimus Legislator, ſe Jus Pratorium in ma-
 teria ſucceſſionis neutiquam velle abrogatum, ſed & in
 terris Saxonice debere hoc ipſum valere, ut ſi caſus occur-
 rat, ubi de Jure Civili & Saxon. ad hereditatem adſpira-
 re non licet, ad æquitatem Juris Pratorii, Bonorumq; Poſ-
 ſeſſionem recurri poſſit, quod etiam præjudicio firmat
 Carpzovius *P. 3. Conſt. 10. Def. I.* ibi: **So wäre es / ſo
 viel eure Perſohn anlangt / ex æquitate Juris Pratorii,
 zu Recht kräftig / und beſtändig.** ſed etiam reliquis
 Imperii provinciis bonorum poſſeſſionem, non utilem
 ſaltem, ſed etiam certis caſibus ſummè hodiè neceſſariam
 eſſe, ita ut non poſſit patrimonium defuncti obtineri, niſi
 legitimè ex præſcripto Pratoris agnita fuerit bonorū poſ-
 ſeſſio, Jurisconſulti celebratiſſimi docent, Lauterbachius

Colleg. Theor. Pr. tit. de Bonor. Poss. in fin. Stryckius de
 Success. ab Intest. Diss. 9. C. 4. & seq. Struvius Synt. Jur.
 Civ. Exerc. 38. th. 43. Brunnemannus ad L. ult. C. unde
 legitimi num. 5. & Exerc. Justin. tit. de Bon. Poss. ad
 princ. n. 5. seq. Berlichius P. 3. concl. 16. Christin. Vol.
 4. Decis. I. n. 6. Mantica de Conject. ultim. Vol. lib. 12.
 tit. 15. n. 3. Locamer. de Causis Actionum §. 76. Valen-
 tin. Forster. de Success. lib. 2. cap. 30. Schneidew. ad §.
 fin. Inst. de Bon. Poss. n. 10. Barry de Success. Test. & In-
 test. lib. 11. Tit. 6. Sichardus ad Rubr. C. qui admitti ad
 Bon. Poss. possunt. Treutler. Vol. 2. Diss. 15. th. I. tit. f.
 Bachovius ad Treutl. c. l. Schnobel. ad tit. ff. de
 Bon. Poss. th. 28. Oldendorp. Class. 5. Act. 6.
 Quæst. An hodie rectè petatur Bonor. Possessio. Adrian.
 Beier ad Schnob. tit. de Bon. Poss. th. 28. ad verba : u-
 sum adhuc esse. Georg. Schulze in Synops. Inst. tit. de
 Bon. Poss. lit. A. Michael Grassus Receptar. Sentent.
 Vol. I. §. Bonor. Possess. Quæst. 5. cui tamen in eo sub-
 scribere non possumus, quâdo inter casus quibus utilis ho-
 die & necessaria est bonorum possessio, etiam hunc refert,
 si speciali aliqua lege provinciali Principis, vel Comitis
 Imperii, successio fuerit delata, dum ita ait : *Certum est*
Statuta Ducum Marchionum, Comitum & Episcoporum
esse Jus Prætorium ; sicut & actiones descendentes
ex Statutis Ducum, Marchionum, & Episcoporum sunt
Prætorie, ex quo talia Statuta Prætoria. Si isti de
successionum modo disposuerint præter vel contra Jus
Civile, non posset peti successio de Jure Civili, sed tan-
tum Bonorum Possessio de Jure Prætorio. Quod utile
est scire, quia si ejusmodi dispositiones essent civiles, intra
30. annos admitteretur quis ad successionem, sed quia
Præto-

Prætorie sunt, intra annum utilem cogitur petere bonorum possessionem, si fuerit ascendens vel descendens, si extraneus intra 100. dies. cum enim Principes Comitesque Imperii, non simplices Magistratus, sed veri Principes Dominique suarum Regionum sint, indeque Leges etiam contra Jus commune, Jure *αὐτοκράτορας* ferunt, consequens est, malè ipsorum Leges cum Edictis Prætorum comparari, & proinde quæ hereditates & actiones ex illis descendunt, Civiles non Prætorias esse, neque juxta naturam Juris Prætorii, sed Civilis, affirmandas esse, certo certius est: Bachov. ad Treutl. *Vol. I. Disp. 3. thes. 6. lit. E. & Disp. 23. th. 1. lit. C.* Schneidew. *ad §. 3. Inst. de Act. num. 7. 8.*

§. II.

Quoniam autem Jus Bonorum Possessionis introductum est à Præatore, non saltem emendandi, supplendi, corrigendique veteris juris gratia, sed etiam confirmandi & adjuvandi causa, prout ipse Imperator docet *in princ. Inst. de Bonor. Poss.* eoque modo quilibet heres testamentarius, bonorum possessionem secundum tabulas agnoscere, haque via faciliori ad hereditatem venire potest, prout etiam prudenter sæpe heredes faciunt, dum Judicem, etsi nullus contradictor adsit, adeunt, & mandatum mantenentiæ hereditatis nomine petunt, quoniam justè possidet, qui autore Præatore possidet, *L. II. ff. de Acquir. vel amitt. poss.* Schilterus *Prax. Jur. Rom. in foro. Germ. Exerc. 15. §. 57.* eoque pertinet quod Oldendorpius *Class. 5. Act. 6.* Sichardus *ad rubr. C. qui admitti ad B. Poss.* & Struvius *Synt. Jur. Civil. Exerc. 38. th. E3.* verisimè testantur, nos quidem hodie ipso bonorum

rum

rum Possessionis nomine non facile uti, re ipsa tamen lapsissime, quotiescunque successores ipsi non ad eunt hereditatem, sed ante implorant iudicis officium, & petunt se declarari vel confirmari alicujus defuncti successores: hoc enim proprium esse bonorum possessionis, neque additioni hereditatis, neque pro herede gestioni, vel immixtioni competere: Schilterus *in Prax. Jur. Rom. in foro Germ. Exerc. 15. §. 67.* ubi formulam mandati subjicit: hinc quaestio praeliminaris oritur, An qua ex duobus testamentis simul validis competit bonorum possessio, Juris civilis emendandi, corrigendi, supplendique, an adjuvandi & confirmandi saltem gratia a Praetore comparata sit? & omnino verius est, corrigendi magis supplendique, quam adjuvandi causa adinventam esse, quoniam Jus civile, ut saepe dictum est, nulli pagano, sed soli militi, duobus testamentis decedere permittit. *L. querebatur. 19. ff. de Testam. Milit. Vinn. ad §. 3. Inst. Quib. mod. testam. infirm. n. 3.* ex quo consequitur, heredes in duobus testamentis scriptos nullam aliam viam, quam per Bonorum Possessionem ad hereditatem aspirare posse: itaque vel hinc falsum apparet, quod Schottanus *in Exam. Jurid. tit. de Bonor. poss. ad Quest. An magnus usus bonorum possessionis sit?* ait, *cum hodie plenissime per constitutiones varias Imperatorum & in successioneibus ex testamento & ab intestato provisum sit, parvus, imò ferè nullus usus est.* nam qua constitutione Imperatoria scriptis in duobus testamentis heredibus provisum sit, hactenus nondum ostensum est, quare cum nulla Juris Civilis parte heredes illi ad hereditatem vocentur, consequens est, Jure Praetorio saltem ipsos heredes, ac proinde Bonorum possessio-

Possessionem secundum tabulas ipsis omninò necessariam esse, quam sententiam quoque fovent Stryckius *de Success. ab Intest. Diss. 9. Cap. 4. §. Lauterb. Colleg. Theor. Pr. tit. de Bonor. Poss. sec. tab. §. 3.* Struv. *Synt. Jur. Civil. Exerc. 37. th. 53.*

§. III.

Nihil autem Bonorum Possessio secundum tabulas scriptis heredibus proderit, nisi legitimè eam coram magistratu agnoverint, h. e; se declaraverint, quod successores defuncti esse velint, siquidem in hoc hereditas prescius Jure Quiritum ita dicta, quamque Jus Civile introduxit, à Bonorum possessione, quam Jus Prætorium addidit, maximè differt, quod hereditas sola aditione heredis, seu nuda, deliberata tamen, animi declaratione, nec adito magistratu, acquiratur: Bonorum vero Possessio edicto promissa, agnosci, & officio decretoque Prætoris impetrari debeat. §. 6. *Inst. de Hered. qualit. & diff. §. ult. Inst. de Bonor. Poss. Vinn. Part. Jur. lib. 1. C. 66.* Schilter. *Prax. Jur. Rom. Exerc. 15. §. 57.* cujus agnitionis quoque etiamnum hodiè summa necessitas est, ut illà omisâ, regulariter patrimonium defuncti nec acquiri nec transmitti possit. *L. ult. C. Qui admitti ad Bon. Poss. l. 1. de Jur. Delib. l. 3. §. acquirere. 7. ff. de B. P. Carpzov. P. 3. Const. 14. Def. 23. num. 1.* Stryckius *de Success. ab Intest. Diss. 9. Cap. 2. §. 10.* Struv. *Exerc. 37. th. 8.* quibus verbis autem declaratio fiat, nihil refert, quoniam solennitas verborum, qua olim Bonorum Possessio petenda erat, postea sublata est, ut hodiè qualiscunque amplectandæ hereditatis testatio sufficiat. vid. *l. 1. C. Commun. de Success. junct. §. ult. Inst. de Bon. Poss. & l. ult. C. Qui ad-*

G

mitti

mitti ad B. Poss. imò ipso facto animum declarasse satis est, si v. g. qui in duobus testamentis heredes scripti sunt, debitores hereditarios judicialiter conveniant, vel Possessoriam hereditatis petitionem instituant, quoniam ejusmodi actus non nisi ab herede expediuntur, qui itaque illos exercent, animum amplectenda hereditatis eo ipso coram iudice satis declarant. Michael Grassus *Recept. Sentent. §. Bonorum Possessio. Quæst. 9. & 10.* ubi hanc communiorem sententiam esse asserit.

§. IV.

Sed nec illud interest, quem Judicem scripti heredes adeant, competens ille, an incompetens sit, quoniam agnitio Bonorum Possessionis Edictalis, qualis est quæ Secundum tabulas vocatur, ad voluntaria Jurisdictionis actus pertinet, & nec cognitionem causæ, nec decretum postulat: *l. ult. C. Qui admitti ad Bonor. Poss.* Lauterb. *Coll. theor. Pr. tit. de Jurisdic. §. 9.* Strauch. *Exerc. Justin. 20. aphor. I.* Schilter. *Prax. Jur. Rom. in foro Germ. Exerc. 15. §. 68. seq.* quod si tamen contradictor adfit, & citatione partis adversæ, & causæ cognitione opus erit, nec Judex nisi competens adiri poterit. *arg. l. 3. §. 8. §. de Bonor. Poss.* Struv. *Exerc. 37. rh. 8.* De Notario insignis quæstio est, An coram illo adhibitis testibus Bonorum Possessio agnosci possit? & videri id omninò poterat, quoniam Notarius persona publica est, coram quo ejusmodi sæpe negotia recte expediuntur, quæ ad Judicium pertinent, nam, ut Besoldus ait in *Theaur. Pract. verb. Notarius.* Wird vor ihnen Gewalt gegeben / Protestation und Appellation einge- wendet / und andere dergleichen Actus verrichtet / so
sonsten

sonsten eigentlich der Obrigkeit zusehen / und den Gerichts-
 habern: nihilque frequentius est, quam in Diplo-
 matibus Caesareis, quibus Notarios creandi facultas Co-
 mitibus Palatinis conceditur, Notarios *Judices ordina-*
rios & öffentliche Richter vocari: sed quoniam judicis
 five Magistratus, qui Jurisdictionem habet, autoritas, in
 agnitione Bonorum Possessionis requiritur, *L. 1. ff. de*
Jurisd. l. ult. Cod. Qui admitti ad Bon. Poss. possunt.
 praterea in hac Edictali quoque bonorum possessione ac-
 cidere potest, ut causæ cognitione, partis adversa citatio-
 ne, & decreto opus sit, quæ Notarius, utpote jurisdictione
 destitutus, præstare nequit, hinc coram ipso Bonorum
 Possessionem non agnosci posse rectè docent Schneidew.
ad §. fin. Inst. de Bon. Poss. num. 5. Stryckius *de Suc-*
cess. ab Intestat. Diss. 9. Cap. 2. §. 13. ibique alleg.
 Bolognet. *in Rep. l. ult. C. Qui admitti ad Bon. Poss.*
possunt. n. 10.

§. V.

Illud maximè scriptis heredibus curandum est, ut
 agnitio petitioque bonorum possessionis ab ipsis intra
 præfinitum tempus fiat: neque enim illa, uti in heredita-
 te perpetuò, h. e. ad triginta usque annos fieri potest,
l. 8. l. 9. C. de Jur. del. l. 7. C. de hered. petit. junct. l. 30.
C. de Præscr. 30. annor. Carpzov. *P. 3. Const. 14. Def. 24.*
 sed certum tempus habet præfixum, quod in parentibus
 & liberis, annus, in aliis heredibus, centum dies sunt. *§. 4.*
Inst. de Bon. Poss. L. 1. §. 12. & ult. ff. de Success. Edict.
L. 4. C. qui admit. Est tamen hoc, utut breve, tempus,
 triginta annorum spatio, quod civili hereditati præfixum
 est, in eo melius, quod non nisi scienti currat, *L. 2. ff.*

*Quis ordo in Bon. Poss. serv. l. quamdiu 6. C. Qui ad-
mitti ad Bonor. Poss. §. 6. Inst. de B. P. L. 10. ff. de
Bon. Poss. cum tempus triginta annorum continuum
sit, & lapsus ejus ignoranti quoque noceat, arg. l. licet. 8.
C. de Jure delib. ibique DD. unde ne mille quidem an-
nis ignorantem à bonorum possessionis petitione exclu-
di, cum Schneidewino ad §. ult. Inst. de Bonor. Poss.
num. 18. in fin. & Jafon. in Rubr. C. qui admitti ad
B. Poss. statuit Stryckius de Success. ab Intest. Disput. 9.
Cap. 7. §. 26. quod tamen aliis displicet, vid. Valent.
Forster. de Success. lib. 2. cap. 30. Bachovius ad Tr.
Vol. 2. D. 15. th. 1. lit. F. Wislenb. ad tit. de Success.
Edict. th. 19. quia omnes actiones longissimo tempore
perimantur; L. sicut. 3. l. omnes 4. C. de Præscript. 30.
vel 40. annor. Interim hoc tempus à Pratore statutum,
scriptis in duobus testamētis heredibus admodū observa-
ri convenit, quoniam nuspian illud mutatum est, sed
quam naturam bonorum possessio accepit, eam omninò
retinuit, indeque adhuc hodiè illud Bonorum Possessori-
bus præcisè observandum esse, monent docentque inter
alios, Lauterb. Coll. theor. pr. Tit. de Bon. Possession. §. 16.
Stryckius d. tract. Diss. 9. cap. 2. §. 26. Wesenb. ad §. 4.
Inst. de Bon. Poss. num. 1. Berlich. Part. 3. Concl. 16.
num. 39. Fromman. Diss. de Different. hered. & bonor.
poss. th. 35. Locamer. de Caus. Action. §. 76.*

§. VI.

Quid ergo, si dubitetur, num intra legitimum tem-
pus bonorum possessio agnita fuerit, cuinam probatio in-
cumbet? Equidem Menochius lib. 4. præsumt. 104.
Jafon in Rubr. C. qui admitt. num. 7. & seq. Rimin.

Jun.

Jun. *ad d. Rubr. num. 225.* alique, heredem, qui agnovit bonorum possessionem, legitimum tempus observasse præsumi, & negantem negativam suam probare debere statuunt: sed quoniam agnitio bonorum possessionis intra legitimum tempus, in qua bonorum possessor se fundat, facti est, & solennitas quædam extrinseca, quæ, juxta Juris regulam, præsumi non solet, cuius autem fundamentum intentionis suæ probare convenit, rectius omnino affirmanti Bonorum Possessori, quam neganti adversario probatio injungitur, per *L. 1. C. Quorum bonor.* ubi Imperatores inter alia rescribunt, *Si te defuncti filium & ad hereditatem vel bonorum possessionem admissum probaveris.* Mantic. *de Conject. ult. vol. lib. 12. cap. 15. n. 13.* Fachin. *lib. 13. Controv. Cap. 32.* Christin. *vol. 4. Dec. 1. num. 9. & 10.* Grass. *§. Bonorum Possessio. Qu. 7. num. ult.* Jacob. de Nigris *ad Rubr. C. qui admitt. num. 13.* Stryck. *de Success. ab Intest. Diff. 9. C. 2. §. 27.* idemque & illo casu statuendum arbitror, quo scripti in duobus testamentis heredes, postquam agnoverunt Bonorum possessionem, in possessione hereditatis sunt, quoniam Justinianus in genere constituit, ut bonorum possessione fruiturus, ostendere debeat, se intra statuta tempora agnovisse, nec distinguit, an actor Bonorum possessor, an reus sit, in *§. ult. Inst. de Bon. Poss.* nec huic obstat, quod pro possessore præsumtio sit, & possessio ab onere probandi relevare soleat: *§. 4. Instit. de Interdict.* hoc enim verum est, quamdiu actor fundamentum actionis suæ nondum probavit, quod si itaque heres legitimus sive qui ab intestato succedit, se proximum defuncti ostenderit, heredes autem qui in duobus testamentis scripti sunt, ad

successionem Pratoriam provocent, indeque jus potius sibi competere excipiant, omnino se Bonorum Possessionem intra legitimum tempus agnovisse docere debent, cum reus in exceptionibus actoris partibus fungatur, & quilibet, sive actor sive reus sit, intentionis suae fundamentum probare teneatur. *l. in exceptionibus. 19. ff. de Prob. l. 1. ff. de Except. l. 12 ff. de Prob.* quam sententiam contra Zachard, *in Repet. & Rubr. C. qui admitt. n. 49. & 50.* Hieron. Cagnol. *ad eand. Rubr. n. 62.* Sichard. *ad d. Rubr. Cod. n. 44.* Mascard. *de probat. Vol. 1. Concl. 237. n. 2.* & Johan. Bolognet. *in repet. d. Rubric. n. 46. §. ex quo sequitur.* pluribus defendit Stryckius *de Success. ab int. D. 9. C. 2. §. 31. seq.*

§. VII.

Quoniam autem tempus agnoscendae Bonorum possessioni praefixum, non nisi scienti currere, antea in §. 5. dictum est, inde Quaestio oritur, Si scripti in duobus testamentis heredes demum elapso tempore Bonorum possessionem agnoscant, & ignorantiam allegent, quod delatae hereditatis scientiam non habuerint, an audiendi statim sint, an ignorantiam prius probare debeant? & crediderim audiendos esse, quoniam ignorantia facti alieni tamdiu praesumenda est, donec adversarius scientiam probaverit, *l. 21. ff. de probat.* nisi fortè contra scriptos heredes, singulares scientiae praesumptiones militent, quo casu vel ignorantiam probare, vel, quia difficulter probari potest, (in animo enim consistit) juramento eam ostendere debent, Carpzov. *Jurispr. For. P. 1. Conf. 22. Def. 6.* Interim hoc de ignorantia facti intelligi debet, nam si scripti heredes delatam ipsis esse hereditatem bene scive-

sciverint, jus vero, sive necessitatem faciendæ coram iudice declarationis, h. e. agnoscendæ bonorum possessionis, ignoraverint, nequiquam audiendi erunt, quoniam juris ignorantia, maximè acquirere volentibus, minimè prodest, sed nocet. *L. 7. & 9. ff. de jur. & fact. ignor. modo* tamen facultatem consulendi peritiores habuerint, *l. 10. ff. de B. P.* adeo ut hoc casu, quo copia consulendi eruditos adfuit, nec mulieres, si in duobus testamentis scriptæ essent heredes, excusandæ sint, ita enim in *l. 6. C. Qui admitti ad B. P. poss.* Imperatores rescripserunt: *juris ignorantiam nec Mulieribus prodesse, in Edicti perpetui cursu, de agnoscenda Bonorum Possessione, manifestum est.* At quid, de rusticitate dicendum? neque, hanc patrocinari arbitror, *arg. d. l. 10. ff. de B. P. l. 6. C. qui admitt. ad B. P. poss.* tamen si in *l. 8. C. d. tit. rusticitatem à necessitate agnoscendæ bonorum possessionis intra tempus præfixum excusare, rescriptum sit, nec restrictio, si facultatem consulendi peritiores non habuerit, adjecta sit: hanc enim Legem de solenni saltem petitione & agnitione loqui, bene ostendunt, docentque Gotofredus in *not. ad dict. leg.* Stryckius *de Success. ab intest. Diss. 9. C. 2. §. 19.* Lauterbach. *Coll. Theor. Pr. tit. de Bon. poss. §. 15.**

§. VIII.

Si sic legitimè bonorum possessionem agnoverint, qui in duobus testamentis heredes scripti sunt, his *Effectibus*, commodisque gaudent, ut veri defuncti successores fiant, quia Bonorum possessores, Heredes Prætorii, & Successores Honorarii vocantur: vid. *princ. Inst. de Bon. poss. l. 19. §. 2. ff. de Cond. & Demonstr. l. 24. §. 1. ff. famil. erisc. l. 9. §. 6. de Interrog. in jur. fac.* unde jus in universum

sum patrimonium defuncti nanciscuntur, bona omnia propria autoritate apprehendere, & si jam possideant, ac conveniantur, exceptione agnita bonorum possessionis se tueri possunt: *l. 3. §. 2. ff. de Bon. Poss.* quod si possessio bonorum amplius non sit vacua, sed à tertio teneatur, non saltem Interdicto Quorum Bonorum, ad adipiscendam possessionem, expeiri, *tot. tit. ff. & C. Quorum bonorum.* sed & Possessoriam hereditatis petitionem, contra eum, qui pro herede vel pro possessore possidet, instituire possunt, qua tantum omnino consequuntur, quantum Petitione hereditatis civili, heres consequi valet, *l. 2. ff. de Possess. hered. petit.* quoniam bonorum possessor, postquam legitime bonorum possessionem agnovit, & patrimonium defuncti acquisivit, in effectu idem, quod heres est. *L. hereditatis. 138. ff. de V. S. l. 2. & l. 3. princ. ff. de Bon. Poss. l. 1. & 7. ff. ad Sc. Trebell. Richter. ad l. ult. C. de Edict. D. Adr. toll. n. 163. Wesenb. conf. 81. n. 16. Schilter. prax. jur. Rom. Exerc. 15. §. 57.* ubi rectè ait, bonorum possessionem quoad substantiam suam, esse ipsissimam hereditatem, sed causa efficiente & modo acquirendi differre. Quare si etiam decesserint heredes in duobus testamentis scripti, agnitam bonorum possessionem, non minus ac civilis heres aditam hereditatem, ceu proprium patrimonium ad qualescunq; heredes transmittunt, licet non agnita bonorum possessio ad neminem regulariter transmittatur: *l. 3. & 7. ff. de Bon. Poss. l. 4. C. qui admitti ad B. P. poss. Struv. Synr. jur. Civil. Exerc. 37. th. 7.* sed etsi unus ex heredibus scriptis agnoverit bonorum possessionem, reliqui eandem non agnoverint, vel quod spreverint jus suum, aut tempore bonorum possessionis finito exclusi sint, aut ante mortui, quam

quam bonorum possessionem petierunt, juri accrescendi locus est: *l. un. C. Quando non petentium paries petentibus accrescant. l. 3. §. ult. l. 4. & 5. ff. de Bon. Poss.* sed hos Effectus, quos professa opera Commentatores Digestorum congruis titulis exponunt, jam prosequi non vacat.

§. IX.

Coronidis loco, ne quid omittatur, quod ad resolutionem legis pro more pertinet, nonnulla notabilia subjicere libet: PRIMO, duobus testamentis diversi tenoris quem decedere posse, ut utrumque valeat, quod alias Paradoxum videri poterat: SECUNDO, inservire textum iis, qui ad faciendum testamentum ab aliis urgentur, quos tamen ex assè heredes suos esse nolunt, ut pro placandis sollicitatoribus, duo testamenta, quasi unius testamenti duo saltem exemplaria essent, conficiant, & in utroque sollicitatores instituisse simulent, saltem ut per hoc stragemma amicis quoque suis benè prospiciant, aut si sollicitatoribus plane nihil relinquere velint, illud ipsum quo hi sunt instituti postea cancellent, & ad nihilum redigant: unde hanc cautelam conjugibus, quoniam inter illos hujusmodi sollicitationes frequentes sunt, non malè commendat Casparus Manzius *in Centur. Decis. Palat. Quest. 31.* ubi prudenter pariter ac jucundè ita loquitur: *Hanc itaque cautelam notent illi qui à conjugibus tam instantè ad testamentum faciendum, & se instituendum urgentur, ut pro placandis illis faciant duo testamenta, & sicubi ipsis aliquid relinquere voluerint, utrumque asservent, sin minus, illud ad quod importunè alle-*

H fuerunt,

*fuert, omnino dilacerent. Qua cautela non ita pri-
dem illa quoque mulier uti potuisset, & debuisset, que
à marito graviter, atque ita vehementer percussa, ut
de vita periclitaretur, adhuc nihilominus lecto decum-
bens incessanter sollicitata fuit, ut testamentum face-
ret, & ipsum (gratiarum loco) heredem institueret.
TERTIO, leges quandoque etiam de casibus raro contin-
gentibus ferri, cum alias Jura de iis loquantur, quæ ut
plurimum accidunt, quod vero semel aut bis existit legis-
latores præterire soleant. l. 3. & seq. ff. de Legib. l. 3. in
fin. ff. Si pars hered. pet. quos textus bene exponit Julius
Pacius Centur. i. Leg. conciliat. Quest. 10. Ego hic pe-
dem figo, & DEO Optimo Maximo, pro gratiosa assi-
stentia humilimas ago gratias, cui Laus fit &*

Gloria in æternum!

F I N I S.

~~~~~

**COROLLARIA.**

- Testamentum tempore pestis conditum, in  
perpetuum valet.*
- Emtio annuorum reddituum vera emtio est  
non palliatum mutuum.*
- Per Rescripta moratoria cursus usurarum  
non sistitur.*
- Mater tutelam liberorum ambiens, & primis,  
& secundis nuptiis renunciare debet.*

Testa-



**T**estamenta duo simul an subsistere possint,  
Pluribus egregio themate rite doces;  
Sedulitate premas porro Vestigia Patris,  
Augebit sortem propria fama tuam.

*Hiscæ Prænobili Dno Elwerth / Paternarum Vir-  
tutum amulo, prolixiori affectu gratulari voluit*

SIMON NICOLAUS ORTHIUS, J. U. D.  
ej. Prof. & p. t. Academiae RECTOR.

*Ad Nobilissimum & Eruditione pariter ac Vir-  
tute Ornatissimum,*

DN. ANSELMUM GEOR-  
GIUM ELWERTUM,

**E**X quo tempore, Imaginibus Majorum Tuorum,  
PARENTIS imprimis, Reverendissimi Eminentis-  
simique Electoris Moguntini, aliorumque Imperii Sta-  
tuum, cum viveret, Archiatri, & Consilarii Gravis-  
simi, & AVUNCULI, Magni Cancellarii HERTII,  
excitatus, castra Musarum secutus es, eas, omnibus,  
qui TE norunt, testibus, ambulasti vias, quibus ince-  
dere solent, qui quasitam à Majoribus gloriam tueri,  
suisque ad eandem meritis eniti cupiunt. Quemad-  
modum præfens, quod, de duobus Testamentis simul  
validis, nobis exhibes specimen, id luculenter compro-

H 2

bat,



bat, ita de Virtute hac Tua ex animo gratulor, utque  
 DEUS, quod in TE cœpit, bonum perficere velit, de-  
 votè apprecor: Sic itinere, quod jamjam meditaris, fe-  
 liciter confecto, & magnum Honoratissimæ Matris gau-  
 dium, & nobile Familiæ Tuæ Ornamentum eris. Hoc voveo

*T. Studiosissimus*

Differtationis PRÆSES,

---

**E**X Testamentis decedat nemo duobus,  
 Lex ait, validum Prætor utrumque jubet,  
 Scilicet *emollit* normamque reducit ad *æqui*,  
 Sicubi quod *duri* formula *Juris* habet.  
 Id benè dum monstras, ELWERTÈ, patescit abunde,  
 Esse *æqui* curam, *Juris* & esse *Tibi*.  
 Perge ita, junge *æquum justo*, sed non cerebrinum,  
 Et *Themidis natus* sic *genuinus* eris.  
 Ornabit *titulis* ea Te, concedet *Honores*,  
 Atque *Tuis* meritis *munera* digna dabit.

Id precor ex animo! Tua sic conamina Numen  
 Dirigat, ut facilis sit scopus iste *Tibi!*

*Hicce Nobilissimo DN. ELWERTO de egregio Studio-  
 rum Juridicorum specimine gratulari, & additissi-  
 mi animi affectum declarare volui*

IMMANUEL Weber / D. P. P.

---

**Q**uid valeat TESTAMENTUM, & sic quomodo  
 proficit

Interpres monstras: docta Minerua probat.  
 Isthæc ad Salam nobis TESTANTIBUS adhuc

TE vocat, vt nunc sic optima plura paret.  
 TE ferat & referat Sedis cœlestis alumnus

Hic quæ iussa DEI rite minister agat! Sum-



Summus TESTATOR Christus TE mox vocet inde,  
Vt HÆRES Sanus iusta parata feras!

*ita ex*

Proximo & sincero

Affinitatis amore

vouet

IO. GEORG. LIEBKNECHT, Mathema-  
tum Prof. P. Ord.

Ihr zeigt Wehrter Freund / daß Euch der Zu-  
gend Wagen  
Als sichere Schlaf Gemach der Weisheit werd' ein-  
tragen /

Der Wille/der Euch reißt / war einzig hinbedacht/  
Wie Er zur Wissenschaft werd' völlig eingebracht.

Ihr wehrter Musen Sohn / das macht das stete  
Sitzen /

Der unverdroßne Fleiß / das angeflaminte Hizen  
In Kunst: entbranntes Lust. Flamit ferner Him-  
mel an

Mit eurem Sinnen: Feur: Brecht ferner durch  
die Bahn.

Last allen kundbar seyn / zu welchem Ihr geböhren/  
Daß nehmlich die Natur zu Hohem Euch erköhren:  
Daß den belobten Fleiß das angenehme Gut  
Beyron in kurzer Zeit: Der würd'ge Doctors  
Hut!

Diese wenige doch wohlgemeinte Zeilen / wolte dem  
Zern Respondent, als seinem Wehrtegeschätzten  
Freund und Gönner / bey rühmlichst abgelegtem  
Specimen Glück wünschend hinzufügen

G. A. Schmid / Advocat in Gießen.



**T**estamenta duo subsistunt, mira videntur,  
Ultima mens tantum Jure valere solet.  
Jam specimen doctum profers & laude tueris,  
Egregia quantum mentis acumen habes!  
Est labor hic magnus, sed compensatio major,  
Latus & ex animo testor, Amice! Tibi,

*Hic Nobilissimo & Doctissimo Domino ELWERT, Amico suo singulari affectu prosequendo, de Optimo Specimine gratulari, Eidemq; iam profecturo quævis ubiq; prospera apprecari voluit*

ANT. LUD. MOLLENBEC, Oppon.

**E**st dulcis virtus, finis virtutis amœnus  
Quæ nos ad verum ducit amore bonum;  
Gloria pro fine est, hominum quæ quilibet ardet,  
Quæ partâ longè post sua fata viget.  
Hanc Tibi continuis studiis, virtute parâsti,  
Ut morum probitas, & Tua scripta probant;  
Laudibus ergò Tuis majores jungere pergas  
Laudes, sic meritis præmia digna feres.

*Ita Nobilissimo ac Eruditissimo Dno ELWERTO, Fantori suo estimatissimo de egregia eruditionis atq; virtutis documento gratulatur, suamq; erga IPSUM observantiam & affectum cum omnis fœlicitatis voto contestatur*

WILHELM. LUDOV. Niesl/ Oppon.





Größen, Diss., HM-12

ULB Halle  
005 356 92X


3











*Pri-Or. num. 25. P. 4. 18.*

DISSERTATIO JURIDICA *1711, 52*  
DE *71*

DUOBUS TESTAMENTIS  
SIMUL VALIDIS.

*P. 300.*  
AD  
*L. 1. §. 6 ff. de Bonor. Possess. secundum Tab.*

QUAM  
SUB PRÆSIDIO  
BERNH. LUDOV. MOL-  
LENBECII,  
J.U.D. SERENISS. LANDGRAVII HASSO-DARM-  
STADINI CONSILIARII, COMIT. PAL. CÆS. ET  
PROF. JURIS ORD.  
LONGE CELEBERRIMI,

DN. PATRONI PRÆCEPTO.

RIS AC PROMOTORIS SUI  
OMNI HONORIS OBSERVANTIE Q. CULTU  
ÆTERNUM PROSEQUENDI,  
PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT;  
IN SOLENNI

ACTORUM AUDITORIO

*d. Septembris c17 13 ccxi.*

ANSHELM. GEORG. ELWERT,  
GIESSENSIS.

GIESSÆ, Litteris VIDUÆ B. JOH. REINH. VULPII, Acad. Typ.

